




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 2.6.358




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 2.6.358



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 2.6.358


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 2.6.358


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 2.6.358

2. 6. 358

2 M. 6

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

XXXIV
HOFM.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

ࠑࠋࠋ ࠁࠀࠅࠓ

UMBRA IN LUCE:

Sive

CONSENSUS ET DISSENSUS RELIGIONUM PROFANARUM,

JUDAISMI, SAMARITANISMI, MUHAMMEDISMI, GINGIS-CHANISMI, ATQUE PAGANISMI, PRÆCIPUE MODERNI,

CUM VERITATE CHRISTIANA,

Sub UMBELLÂ

Viri Maximè Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi,

DN. JOH. ERNESTI

GERHARDI, S. S. Theol. D. & Prof. Publ.

IN ALMA PROPTER SALAM

Celeberrimi,

Epicharmi sui & Evergetæ indulgentissimi,

in Lucem publicam productus

à

M. CHRISTIANO HOFFMANNO,

VVratislaviensi Siles.

AUTORE ET RESPONDENTE,

dispicietur

In Phrontisterio Majori,

Ad Diem XII. Januarii, Anno 1667.



JENÆ, CHARACTERE BAUHOFFERIANO.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358



AD EXIMIUM

DN. M. RESPONDENTEM,

Amicum & Nationalem Meum dilectissimum.

***

Cum tenebris lucem, Christum cum Dæmone jungis,
Cumque Tuâ variam Relligione fidem.
AULICUS es, cui summa licet confundere & ima.
Erro: Vis propiùs juncta secare magis.

Gratulab. f. Lipsiæ

M. VAL. ALBERTI, Log. & Metaph. P.P.
Academiæ h. t. Rector.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358



***

PEREXIMIO ATQUE PRÆSTANTISSIMO

DN. M. CHRISTIA-NO HOFFMANNO,

SS. Theologiæ Cultori indefesso


JOH. ERNESTUS GERHARDUS, D.

S. P. D.



Stupendæ omninò priscæ gentilitatis circa veri DEI cognitionem cultumque tenebræ fuerunt. haut minores tamen recentioris. Id quod verò de antiquis gentilibus vas illud DEI electum, gentiumque Doctor illuminatissimus, D. Apostolus Paulus affirmat, eos nempe ἀναπολογήτους esse, eò quòd, cùm id, quod de DEO cognosci potest, manifestum fuerit in illis, siquidem DEUS illis patefecerit: quippe quæ sunt invisibilia ejus, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, pervidentur, ipsaque æterna ejus potentia ac divinitas, nec tamen cùm Deum cognoverint, ut Deum glorifi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358



rificârint, neq; grati fuerint. idem de recentioribus quoq; gentilibus jure meritò quis asseruerit. Eò maximè, quòd ad luminis primævi, per lapsum deperditi reliquias, haut exigui novæ lucis, per Evangelii prædicationem in universo terrarum orbe accensæ, radii accesserint, nec ad eos minùs, quàm reliquos, qui Christo constanter nomen dederunt, penetrarint. Ut miratio adeò subeat, quòd haut major tantæ lucis, quâ benignissimum Numen dignatum eos est, remanserit in illis umbra. Etenim non hi minùs, ac illi, divinam veritatem in mendacium commutarunt, & venerati sunt colueruntque ea, quæ condita sunt, supra eum, qui condidit, mutaveruntque gloriam immortalis Dei, per imaginem non solùm ad mortalis hominis similitudinem effictam, verùm etiam volatilium & quadrupedum & reptilium. Hoc ipsum verò cùm τῆς ἄγαν παραπληξίας, id est *nimiæ* sive *incredibilis dementiæ sit*, ut rectè censet Oecumenius, adeoque dubium quibusdam videri possit, testimoniis Historicorum fide dignorum confirmarem adstruerem que, nisi abs TE jamtum, Pereximie DN. M. HOFFMANNE, & quidem egregiè prorsus præstitum esset. intelligo in erudita hâc, quam contractioribus hisce diebus indefesso studio ac laudabili conatu adornasti, dissertatione. Quâ de quid ipse sentiam, cùm expetas, nescio certè aliam ferre sententiam, quàm, quòd plurimum materiæ, quam tractandam suscepisti, fœneratus sis lucis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358



ut fortè haut vanè inde conjiciam, TE dum umbram quæsivisti, lucem invenisse. Probè equidem scio, TE, quæ rara TUA satisque perspecta mihi modestia est, in totâ vitâ TUA, adeoque in illustri etiam luce Academicâ nihil æquè amasse, ac gratam, h. e. supra invidiæ tela positam umbram: auguror tamen, umbram hanc, quam luci jam das publicæ, in apricum TE esse producturam, nec permissuram, ut insignes TUÆ virtutes, modestiam dico, pietatem, multarumque linguarum juxta atque artium solidam cognitionem, in obscuro deinceps lateant. Agedum! jacta alea satis feliciter est! pone metum, ac certò TIBI persuade, virum bonum haut minùs quietè in publicâ versari luce posse, quàm in solitudine latere atque umbrâ. Deum ego, auctorem lucis omnigenæ, supplex veneror, ut Spiritus sui Sancti luce TE semper irradiet, ac largiatur clementissimè, quò pulcerrimum hoc variæ eruditionis TUÆ specimen Patronis TUIS vehementer arrideat. Quos laudatissimos Viros ut cœlestis benignitas non TIBI modò TUISque studiis, sed & mihi, quin toti rei litterariæ quamdiutissimè incolumes præstare dignetur, unicè in desideriis habeo. Jenæ è museo paterno

Ipsis KL. Jan. A. 1667.



er



Cabam, Pagodes, Synagogam juncta Sioni
Cres ubi conſpexit, mox quoq; mixta putat.
Olli ſubridens CHRISTUS: Diſcrimina tollis:
Num mea lux umbræ damna vicesque feret?
Euge! tuo CHRISTO, CHRISTJANE, adjungere ſoli.
Aut totum, aut nullum CHRISTUS habere cupit.

Ita Adfectum ſuum ſingularem obſignat Lipſiæ

JOH. ADAMUS Schertzer/
SS. Theol. D. & P.P.

Hacte-



***

Hactenus obſcurâ latuiſti ignotus in umbrâ,
Nec preſſus poteras lucis honore frui.
Niteris, & tandem prorumpit lumen in umbrâ:
Sic aperis, tecum quæ gravis umbra tegit.
Gratulor: ingenuum Te Patria credet alumnum.
Non ſemper capiti longior umbra nocet.

Hanc amoris, non moris tantum teſſeram
Conterraneo meo ſuaviſſimo
transmitto Lipſia

PAULUS AMMANN, D.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358



ANTIFIXA.

§. I.



MBRAM IN LUCE Tibi ſiſtimus, Lector benivole. Cave, Te invitari putes ad ἀκροάσεις Phyſicas, aut Opticorum Magiſteria. *Umbram* (α) τοῦ σώματος εἴδωλον (vanum corporis ſimulacrum) Theologorum ſubſellia non curant; admiranda ejusdem ſpectacula Artificibus ſuis relinquunt. Idem de *Luce* judices velim. Sive enim cum (β) Togatis & Naturæ interpretibus per eam intelligas vim hanc, quæ eſt in Corpore lucido, à ſpecie ſuâ, i. e. ſui repræſentatione, ſive Lumine, diſtinctam; ſivè cum Palliatis & Argis ſolis oculeis pro (γ) utroque capias, utrinque Te fruſtraberis. Nec enim Te fugit, ſi privativi ſignificatio à proprietate ſuâ recedit, poſitivi etiam nativam indolem attendi vix poſſe.

§. II. Metaphoricam proinde acceptionem h. l. intendimus. Quid verò ſub UMBRA IN LUCE adumbretur, haut obſcurum eſſe poteſt. *Religionum profanarum cum Veritate Chriſtiana Conſenſum & Diſſenſum* delineamus. Verbis ita res proponitur communibus, fortaſſe tamen ali-

A quan-

(α) *Zachar. Mitylenæus, dial. de opif. Mundi, p. 188. edit. Barth.* (β) *Scalig. Exerc. 71. ſ. 1.* (γ) *Iſaac. Voſſ. de Luce, c. 3.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

quantulum ambiguis. Erroris igitur præscindenda occasio. Quâ viâ, rogitas? Vocabulorum evolutione. Ἀρχὴ τῆς παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις, *Initium doctrinæ, nominum consideratio est.* Verba sunt Socratis apud Arrianum, lib. I. de Epict. disp. c. 17. Singula ergò ordine.

§. III. Prima nobis *Veritatis* cura habenda. Significatus hujus notionis aliquantum amplior, nobis restrictior. Unde *Christianæ* titulus accessit, sive ab objecto mavis considerationis præcipuo, sive à subjecto debito. Uno verbo: Veritatem intelligimus Theologicam; Principia puta & conclusiones è verbo divino deductas. Clarius: Dogmata Homini salvando necessaria, Christianis propria. Verissima ea, imò ipsa (d) *Veritas*. Summa eorum cum cœlesti veritate conformitas; nulla difformitas. Utraque ab æternâ Veritate profecta. Quicquid hujus arguit (e) autoritas, infallibilis est Veritas. Infinitus ejus Intellectus, falli nescius: immensa Bonitas, fallere nescia. Hinc eminentissima Cognitionis perfectio, exactissima Revelationis & mysteriorum adæquatio.

§. IV. *Christianæ* appellatio dubium alicui movere posset. Scrupulus hic est, non scopulus; facilimè eximendus. Absit, Veritatem subjecto alligem! Ab (f) objecto unicè dependet. Ab eo, (g) quod res est, formaliter vera dicitur Oratio, sive ea sit Rei, ut in se est, repræsentativa, sive significativa. Christiana nihilo secius est Veritas. Soli Christiani à primâ (h) ejus origine eam amplexi fuere. Nomen quidem (i) Antiochiæ demum natum: Omen in ipso Paradiso datum. Idem (k) erat Christus, in quem Patriarchæ credebant, exhibendus, qui jam exhibitus. Soli Christiani hanc Veritatem conservant, soli eam indagant, soli propagant.

(d) *Joh. XVII. 17.* (e) *Stal. Regg. II. 549.* (f) *Grauer. de unic. & simpl. Verit.* (g) *Aristotel. in Categ. substant.* (h) *Euseb. l. I. H. E. c. I.* (i) *Actor. XI. 26.* (k) *Ebr. XIII, 8.*

gant. Adde, neminem verum (l) ſalutari poſſe Theologum, niſi verus ſit Chriſtianus. *Chriſtiana* proin meritiſſimo ſuo audit *Veritas*. Chriſtiani namque eam ex ſacris Pandectis feliciter eruunt, dextrè proponunt, ſolide muniunt, & contra inſultus adverſariorum defendunt. Moros Methodiſtarum novorum mores nihil eſt, quod moremur. Crepent illi cum Anteſignanis ſuis, Gonterio, Arnoldo & Veronio, (m) ſolum, nudum & purum DEI Verbum ſcribtum; merum nobis DEI Verbum, merum Verum eſt, non tantùm, quicquid prima fronte Scripturæ promittit litera; nam plus in receſſu nobis ſcrutandum æterna permittit ſapientia. Premat nos Rerum revelatarum obſcuritas, caliget Intellectus noſtri imbecillitas: Verborũ ſanè nos (n) ſtringit perſpicuitas, contextus movet concinnitas, Locorum parallelorum monet affinitas, immotos nos reddit Fidei conformitas. Infallibilis quoque conſequentiæ Veritas. Siquidem à DEO in natura inſtitutam, ab hominibus verò, ut eam diſcere & docere poſſint, tantùm animadverſam, cum auguſtiſſimo Patrum Auguſtino (o) pernovimus.

§. V. *Religionum profanarum* diſpar planè eſt facies. Religionis (p) etenim vox proprio ſuo & adæquato Conceptu omnia Homini beando creditu & factu neceſſaria importat. Et ſi appellationis hujus incunabula rimari fas eſt, rationem involvit, quâ Homo, Finis ſui ſimpliciter ultimi deſiderio ardens, æterno Numini æternum religatus fuit, aut religandus eſt. At verò ſperandum, *Chriſtianam* præter *Veritatem* plures adhuc dari ad ſalutem vias? Sanè, quemadmodum Philoſophia, ex corrupto rationis judicio ortum trahens, nihil minus eſt, quàm Philoſophia: ita Religio, niſi metam

 Viato-

(l) *Dn. D. Muſæus, de Theol. ingen. c. 1.* (m) *Allegat Id. l. 1. de uſu Princ. rationis, c. 3. §. 12. & c. 4. §. 15.* (n) *Glaſſ. Phil. S. l. 2. P. 2.* (o) *l. 2. de Doctr. Chriſt. c. 31.* (p) *Dn. D. Calov. Iſag. tr. 1. c. 12.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Viatori ſpirituali, cum requiſitis ad hoc iter conficiendum neceſſariis, vivis depingat coloribus, Impietatis ſeſe, & (ut mollisſime dicam,) Superſtitionis infamiâ proſtituet. *Profana* ergò omnes omnium, extra Chriſti pomœria degentium, ſunt *Religiones*: profanæ, inquam, h.e. falſæ, irreligioſæ, nullæ. In digitos, quæſo, mitte *Judaicam*, apud animum Tibi propone *Samariticam*, per tranſennam ſaltem adſpice *Muhammedicam*, per ſomnium modò *Paganam* cogita; & nudum earum ſine viribus nomen mecum deteſtaberis.

§. VI. *JUDAICA* Fides (אֱמוּנָה Hebræis (q) audit Religio,) eô hodiè habitu non prodit, quô in Patriarcharum & Prophetarum vultu relucebat. Fundamentum ejus, non תּוֹרָה (r) & תְּעוּדָה *Lex & Teſtimonium*; ſed מִשְׁנָה & גְּמָרָא (s) *Patrum Traditio*, *Doctorumque* recutitorum *deciſio*: Non (t) λόγια τȣ̃ θεȣ̃, *Eloquia DEI*; ſed ματαιολογία, (u) *vaniloquium*. Hic demum in cenſu גְּמוּרִים יִשְׂרְאֵלִים Iſraelitarum perfectorum numeratur, qui עִקָּרִים i. e. XIII. Articulos à R. Maimonide (ad Muhammedanorum caſtra eum defeciſſe, Arabum refert Hiſtoria, (x)) concinnatos amplectitur. Conſule Hotting. Theſ. Phil. p. 79. ſeqq. Buxt. Synag. c. 1. p. m. 2. ſeqq. Hoornb. תּ״ו lib. I. c. 3. p. 110. ſeqq. Imò tria tantùm neceſſariò credenda ipſi ſunt: *DEUM eſſe*; *Legem divinam*; & *Mercedem operum* ſive bonorum ſive malorum *dari*; quam ſententiam R. Joſeph Albo propugnat. (y) Videas tamen Tireſias iſtos, Leberide cœciores, Tiberii (z) ſibi vel illuni nocte vendicare oculos. Luſca natio radioſum Moſis vultum, Aharonisque Urim & Tummim aciem ſibi præ-

(q) *Hotting. Theſ. p. 3.* (r) *Jeſ. IIX, 20.* (s) *Buxt. recenſ. Op. Talm. p. 229. Conf. Hoornb.* תּ״ו *I, 3. p. 99. ſeqq.* (t) *Rom. III. 2.* (u) *1, Tim. I, 6.* (x) *Hott. Theſ. p. 13.* (y) *Hoornb.* תּ״ו *VI, 2. p. 433.* (z) *Plin. H. N. l. 11. c. 37.*

præſtringere opinatur. Speciosa proin ne mireris nomina. Qui Hebraicè in gloſsâ (a) Talmudicâ בן תורה *filius Legis* agnominatur, Chaldaicè in Talmude בַּר אוֹרָיָן dicitur. Quaſi dicas, *Lucis Filius*. Ne perſuadeamus autem nobis, ſcribtam tantummodo Legem, quæ ipſis (b) תּוֹרָה שֶׁבִּכְתָב, hoc nomine à Verpis cohoneſtari. Ipſa Lex oralis תּוֹרָה שֶׁבְּעַל פֶּה ſivè קַבָּלָה Cabbala, (c) quam vocant, à R. Jehudâ Sancto compilata, hoc ſplendoris ſibi apud eos ſumit. Dubitare nos non ſinunt Laudes ejusdem hyperbolicæ, quibus eam θεοπνεύστῳ Verbo palmam præripere blaspheme blaterant. Unum præ multis Encomium ex Buxtorfio (d) adducere liceat. נמשלה המקרא כמים והמשנה כיין והש״ס כקונדיטון: *Similis eſt*, ajunt, *Textus Biblicus Aquis, Miſchna vino, Talmud Condito*. Non aliam præ ſe fert ſpeciem thraſonicus titulus, תורה אור *Lex Lux*, quem Don (e) Joſeph Hiſpanus Libro ſuo præfixit. In eo ſiquidem quid agit amplius, quàm quod ad ſtudium Talmudicum adhortetur? Ejusdem abollæ ſunt אור יי׳ *Lux Domini* R. Chasdai & אור החיים *Lumen Vitæ*, Anonymi. (f) Nec in Commentatorum præconio parci ſunt. R. Joſua Levita (g) ita Maimonidem allegat; המאור הגדול והחכם השלם רבינו משה ב״ר מימון i. e. *Magnum illud Lumen, perfectè ſapiens, Doctor noſter Moſes, filius Rabbi Maimonis*. Quin paſſim idem (h) ipſis καθ' ἐξοχὴν eſt, המאור הגדול *Lumen illud magnum*. En Lynces in dignoſcendo Lucis & Tenebrarum confinio talpâ minùs perſpicaces! Κάλυμμα (i) Velamen nempe Cordibus illorum impoſitum; tantum ſenſibus eorum glau-

(a) *Buxtorf. Abbr. p. 43. Hott. Theſ. p. 77.* (b) *Buxt. recenſ. op. Talm. p. 221. Hoornb.* ת״ך *c. 1. p. 62.* (c) *Hott. Thes. p. 435. Glaſſ. Phil. S. p. m. 302. P. Crinit. de honeſt. Diſc. XXV. 3. p. m. 588.* (d) *l. c. p. 232. Schick. Bech. Happ. p. 6.* (e) *Buxt. Bibl. Rabb. p. 423.* (f) *Ib. p. 310.* (g) *in Halich. ol. p. m. 14.* (h) *ib. l. ult. & p. 17.* (i) *2. Cor. III. 15.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

glaucoma objicit. Idem intellectus, quod obtutus allucinium. Phœnomenorum cœlestium imperitus criniti sideris jubar Solem nocturnum interpretatur: Astrorum Cœlique conscius telescopii beneficio Nubem illud esse (k) ætheriam, emendicatum è Lucis fonte lumen reflectentem, advertit.

§. VII. SAMARITANORUM Syncretismus ipsâ (l) soni diritate nobis religiosus venit. Cuthæa suboles Majorum (m) suorum insaniam tantum abest, ut abjecerit, ut cum Lege Mosaica, repudiatis Prophetarum oraculis, eam commiscuerit. Post, à consortio Templum Salomonæum reædificandi (n) exclusi, in monte Garizim Delubrum Hierosolymitano æmulum (o) Alexandri M. permissu, Duce Sanballath erexere. Quàm bellè hæc omnia, Servatoris nostri Sententia pronunciat: ὑμεῖς προσκυνεῖτε, ὃ οὐκ οἴδατε, *Vos adoratis, quod nescitis*; apertè Samaritanæ mulieri respondet. (p) Nec post exortam Evangelii Lucem ἐθελοθρησκεία eorum colophonem sibi imponi passa est. Eò vecordiæ processere impuratissima Capita, ut propugnator (q) eorum Dositheus manifesti falsatæ (r) Scribturæ sacrilegii damnatus sit. Malè feriatos Nautas, qui à fulgidâ fidei cynosura declinantes,

——Fratres Helenæ, lucida sidera,

formidandi naufragii averruncos accerserunt! Dum enim vaticinia de Lumine Gentium Christo corruperunt, Ignem ipsimet lambentem, Helenæ nomine nobilem, præsentissimi Exitii præsagum Antemnis suis imposuerunt.

§. VIII. MUHAMMEDISMUM non meis, sed Viri in Literaturâ Orientalium versatissimi Verbis (s) exponam.

Hære-

(k) *Dn. Erh. VVeigel. Speculi Uran. P. 2. p. m. 93.* (l) *Dn. D. Calov p. 295. Hott. Ennead. Diss. p. m. 215.* (m) *2. Reg. XVII, 33. 41.* (n) *Esdr. IV, 3.* (o) *Joseph. XI. A. J. c. 8.* (p) *Joh. IV, 22.* (q) *Hott. Thes. p. 47.* (r) *Id. Fascic. p. m. 149.* (s) *Vid. Id. H. E. c. 7. p. 390.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Hæreſis eſt, ex Chriſtianiſmo vero & falſo, Judaiſmo, Saraceniſmo, propriis denique Muhammedis figmentis, & ineptiſſimis antilogiis atque anachronismis conflata, atque componendis Religionum diſſidiis in ſpeciem accommodata. (Μαγαρισμὸν Cedrenus appellitat, quod Arabs Pſ. 83. 7. Ἀγαρηνοὺς *Mahgerin* vertit. (t)) Fundamentum Erroris Alkoranus eſt, cui Sunam adjungunt alii. Muhammedem autorem Sectæ denominatio, ut ſorex ſuo ſe indicio, prodit. Nobiliſſimo inter Arabes Koreiſchitarum genere (Perſam quidam (u) malè faciunt) ortus eſt. Pater fuit Abdalla: (Abdara Volfgango Drechslero (x)) Mater Emina vel Amina, (Drechslero l. c. & Jo. Galenſi de or. & progr. Machometi c. 2. Emma) Vahebi (Neph Galenſ. l. c.) filia. Ipſa quoque Idolorum cultrix, non (quod Symoneta l. c. & Jo. Lud. Godofredus in Archont. Coſm. volunt,) Judæa. Ab hâc in lucem editus poſthumus, duro admodum adoleſcentiæ utebatur initio. Camelarius Chadigæ matrimonio locupletatus plurima miſcere cœpit, & altiora concupiſcere. Clàm primùm, mox velut omnes dictaturas conſulatusque gerens Mendacia ſua palàm promulgavit. (Vid. Hottingeri Hiſtoria Orientalis.) Nugæ illæ ita (y) abſurdæ ſunt, ut nullum ſomnium tam vanum ſit; fraudes & impoſturæ tàm craſſæ, ut mirum ſit, quemquam cordatum iis potùiſſe decipi. Enimvero vertiginis ille Spiritus, qui Gehennæ Candidatum lunaticum (Epilepſia laborantem Arabs παραφεάζει (z) *confractum doloribus* الكلفة ... *in principiis Lunationum*, Matth. IV, 24. c. XVII. 15.) ſæpiſſimè exagitavit, (a) poten-

(t) *Crineſ. in Babel p. 59.* (u) *Symoneta l. 4. ep. 35. f. 79.* (x) *Chron. de Sarac. & Turc. ad A. Ch. 597.* (y) *Nicol. Bell. Differt. Polit. T. 4 p. 752.* (z) *Kirſten Not. in Matth. p. m. 16. & 79. Voſſ. l. 2. de Idol c. 19 p. 400.* (a) *Jac.* Struthuß *Hiſt. Turcico-Sarac. p. 7. Hoornb. Sum. Contr. p. 111.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

potentissimas quatuor (b) nationes, Arabes, Persas, Turcas & Tataros hodienum corripit. Attonitos planè dixeris. Impostor ille improbissimus ipsis صَفْوَةُ اللّه مِن خَلقه *Selectus â Deo inter homines*, & نُور *Lumen*, sive *Dilucidator* dicitur. Utrumque Elogium notat Ismaël Abunasrus, Ibn Hammad Gieuharis, natione Turca (c) linguæ elegantiâ Arabici sermonis antistes, in Lexico suo Arabico Alzachach: Hoc etiam Firuzabadius Camusi (d) autor celeberrimus. Ex ipsis verò observat CL. Golius, illud p.m. 1366. istud p. 2480. Solos sese مسلمين Moslemin h.e. *Credentes*, imò, ut inferiûs audiemus, Christi ipsius Sectatores profitentur. Infidelitatem suam *Islamismi* الإسلام (e) notatione fucant. Digni omnes, qui Incredulitatis suæ symbolum, Insignia Imperii Othomanici Lunam (Chalybem (f) in clypeo triplicem lunatum movendis ex silice stricturis adaptum quidam perperam (g) contendit.) ostentent. Solis isthæc æmula, immenso orbe plena, longinquo Contemplantium adspectui indigenam quendam fulgorem mentitur. Deficientis præsertim Rubor in ipsa Terræ hebetatrice umbra, suspicioni huic aliquem locum reliquit. At quicunque Alhazeni alas adaptare, & Euclidis scalas admovere non refugit, precariam Noctilucæ facem facilime animadvertit. Terra nimirum est ætheria; inæquali montium & vallium asperitudine deformis, origi-

nem

(b) *Brerevv. Scrut. Relig. p. 103.* (c) *Hott. H. E. c. XI, s. 2. p. 451.* (d) *Gol. præf. Lex. Sennert. præf. Arabismi.* (e) *Gol. Lex. p. 1207.* (f) *Autor Peristr. Turc. p. 32.* (g) *Harsdôrf. in Aulæis Rom. V. p. 45.*

nem ſuam ex chaoticâ illâ (h) rerum primordiali maſſa non diffitetur. Nitor ille clarisſimus Solarium radiorum repercuſſus eſt, non ut è Speculo (i), quod imaginem ſecum deveheret; ſed ut è ſcabri Parietis objectu relucens. Nota illa Rubedo (k) notha eſt, eamque à Tellure mutuatam eſſe ipſo colore pudibunda aperit. Muhammedis doctrinam ipſi admiratores ejus ſagaciores ἐπίγειαν, terrenam (cur non & ψυχικὴν καὶ δαιμονιώδη, animalem & dæmoniacam (l)?) conjectant, qui, ut cœleſtis & ſupernæ Sapientiæ ſchema ei affingant, allegoricas (m) Paradiſi ab eo deſcribti voluptates comminiſcuntur.

§. IX. GINGIS-CHANISMI parietinas CL. Hottingerus (n) ex Ahmede Arabſchiade eruderat. Fundamentorum horum molitor *Gingis-Chanus*. Idem, qui Regni Cahadajorum (o) ſive Zavolhenſium Tatarici. Superſtitio eſt, ex Islamiſmo mutuata & interpolata. Diſcordioſa cum eo, nec minus, quàm Judaiſmo Samaritanismus, exoſa ſimul & infeſta. Plurimos inundavit populos. Ghagatæis ſive Scythis, Daſtæis, Chatæis, Turcomannis probata. Chriſtianismi, Muhammedismi, Ethnicismi colluvio. *Tatarorum peculium. Sagomarbareos* eos Genebrardus p. 685. appellat. *Sagomarbar Chan*, inquit, *pro magno Propheta habent, ut Turcæ Mahometem. De DEO uno, Politia & morib. dictata eis reliquit aliqua. Edictum inter ea, de non affligendis Chriſtianis, neque tributo ab eis exigendo copioſiore, quàm à reliquis. Usque hodiè* (circa Seculum XIII. hæc ſcribit:) *illud Gingis-Chan ſucceſſores iurant.* Vid. Hott. H. E. c. 13. p. 513. Quinam hic Sagomarbar Chan, aut undenam, inve-

 nire

(h) *Kircher. de Peſte* l. 1. c. 11. (i) *Macrob. Somn. Scip.* l, 19. (k) *Dn. VVeigel. Geoſcop. Selenit.* P. l. c. 8. (l) *Jac. III*, 15. (m) *Hott. H. O.* l. 3. p. 85. (n) *H. E. c. XV. p. 603. ſeqq.* (o) *Matth. de Michovv.* l. 1. tr. 1. c. 8. *Haytho Armenius* c. 16. *M. P. Venetus* l, 52. (p) *Hott. l. c. p. 672.*

nire non potui. Sagomombarem Tartaris notum Micrælius l. 3. Synt. Hist. s. 8. p. 892. *Sagonombarem Chamum* ab Idololatris adorari, Maffæus in Ep. Asiat. p. 332. ap. Hoornb. l. 6. Controv. p. 392. condocent. Ex Responso Cobilæ Kathaini Tataror. Imperatoris (Cublai M. P. Veneto in aulâ ejusdem versato est.) qui Mango IV. in ordine Regi Tatarico successit, & Najam Avunculum (q) circa A. Ch. 1286. oppressit, petita Relatio. Peræque hic Christianorum, Judæorum, Saracenorum & Idololatrarum festa colebat. Causam rogatus hanc reddidit: *Quatuor in orbe Prophetæ magni adorantur. Christus à Christianis; Moses à Judæis; Muhammedes à Saracenis; Sagonombar Chamus Deorum primus ab Idololatris. Dum omnes veneror, hunc etiam, qui in Cœlo maximus est & Deus verior, me honorare existimo.* Non absimilis *Sultani* cujusdam *Iconiensis* (r) oratio. Assensor Christiani dogmatis, Muhammedis tamen probabat sententiam, persuasus, *Deum non unum ab omnibus cultũ poscere.* Collusionis fortè Rectorum inconstantia principium. Ismaëlismo Asiaticos primùm infectos esse Tataros circa A. Ch. 1246. Matthias de Michow testis est. A. 1285. Idolorum cultor Abaga Muhammedismum amplexus fuit. A. 1298. Cazanus Christianismum fovit. Vid. Micræl. l. c. p. 893. seqq. Cluverus l. c. p. 551. 554. & 557. *Propagator* Legis Gingis-Chanicæ præcipuus *Timur* allegatur. Tamerlanem vulgò vocant. Cui hic successerit, dubium. Post Abazayd, Socero suo Joann. de Bec, ex Alhacenti, Tamerlanis Historici, Scribto Arabico prodidit. Nomen hujus nondum à se inventum Micrælius queritur. Kamereddinum, sed Mogolensium Regem, iisdem Sacris initiatum Hotting l. c. p. 672. memorat. Is ipsus utrum sit, vix asseveraverim. Timur πολύγαμος fuit. ib. p. 772. Sectæ excm-

(q) *Venet. II,* 5. (r) *Jo. Cluverus, Epit. Hist. p.* 503. (s) *l.* 1. *de Sarmat. Asianâ, tr.* 1. *c.* 5.

exemplo auctoritatem addidit, à vi abstinuit. Suâ quemvis sponte permisit vivere. Militiam ejus sequebantur Turcæ, Idololatræ, Magi, Barbari, Pyrolatræ, harioli, athei, Associantes, qui sua secum idola portabant: nec à morticinio abstinentes, nec à suffocato, nec à sangvine, nec aruspiciis. 784. Suæ erga Muhammedem devotionis non unum exstat vestigium. Seid Muhammedem ex Muhammedis familiâ oriundum, Sarbedalem, qui Sarbedalitis originem dedit, ulnis excipit & Dominum vocat. 677. Samarkandæ etiam Muselmannis Mesgidas habere non prohibuit. 780. Victorem eò reducem LXXII. Sectæ comitabantur. Prævalebant in eis Kadræi & Morghi. (De his vide Analecta P. 1. p. 286.) Alis ipse maximè erat partiarius. Sapientum primarius, expeditionis comes Abdolghabbar ad Eruditos Syriæ: *Ab Ali* inquit, *stat Veritas: Muavia autem iniquus est, & Jezidus scelestus.* 710. De Jezido vid. Leonclav. Hist. Musulm. l. 1. p. 11. l. 7. p. 212. & 218. Haphetus Chowarazmius ad Scharphoddinum: *Non dubitandum*, ait, *quin Veritas faciat cum Ali.* Neque enim Muaviam ad Chalifarum ordinem pertinere, ipso Muhammedis testimonio (qui Chalifatum 30. annorum spacio, quod in Ali desinit, terminat,) facilè convincitur. *Edic ergò*, Tamerlangus subjicit, *libere; Alim veritatem secutum; Muaviam autem esse iniquum.* Plura qui desiderat, Hottingerum l. c. adeat Ad manus jam non est compendium ejus Theatri Ismaëlitici, quod fortasse desiderium explere poterit Unicum addo, quod Charegh, s. Schismaticum & à verâ religione aversum Schah-Manzur eum dixerit. 607. Degnal vulgò nostri, sed male, Turcarum Antichristum vocitant. Vid. Camerar. Cent. 3. p. 30. Aldighal rectè pronunciatur. Hotting. ib. d. Hoc Timuri apud Turcas encomium.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

§. X. PAGI Pædorem, ut cum Sedulio (t) *Gentilismum* circumloquar, auguſtæ Religionis fronti affricare, penè religioni mihi duco. Aliæ Sectæ perſonata Principii & objecti acceptione, aptitudinem aliqualem præbent, terminandi falſam earum cognitionem. Hæc, larvale prorſus Simulacrum, cognoſcendi principium ſupernaturale eliminat, naturale obfuſcat, objectum ipſum non attingit. Ea propter, ut olim (u) crasſæ idololatriæ addictis, quòd in militiam à Conſtantino Magno, portu ac Refugio Chriſtianorũ non allegerentur, aut occluſis in Urbe Deaſtrorum Fanis *in pago rem divinam facerent*, dedecoroſa *Paganorum* nota inuſta fuit: ita hodierno etiamnum die aperta Dæmonum cultura Paganismi dehoneſtamento infamatur. Tàm enim ovum ovo ſimile non eſt, ac vetus Idololatria modernæ. Interim inexcuſabilis veri DEI Ignoratio (Arabibus etiam (x) جَاهِلِيَّة) tot invenit Julianos, tot ſortitur Symmachos, (y) tot abundat Zoſimis, (z) ut poſt revelatum etiam in toto (a) ferè orbe Salutis myſterium, novendecim (b) Terræ habitabilis partes, in 30. eam ſi diviſeris, occupet. Tam blandus Conciliator, & ipſe ſui quaſi eſt Leno Diabolus.

§. XI. *Conſenſum* quemnam Religionum harum *cum Veritate Chriſtianà* polliceri auſim, ambiguo jam fortaſſe mentis judicio fluctuatur. *Conſenſus* quidpe vocabulum quid aliud ſignificat, quàm Convenientiam Propoſitionum primò mentalium ab Heterodoxis formatarum, cum Chriſtianorum de objecto Theologiæ conceptibus formalibus ? At verò, quem fugit, pleraque, quæ Theologiæ latifundio includuntur, reconditiſſima eſſe myſteria ? Quæ ergô pro-

por-

(t) *l. 1. v. 26.* (u) *Micræl. l. 2. H. E. p. 129.* (x) *Col. Lex. p. 548.* (y) *Prudent. p. m. 347.* (z) *Urſin. vol. 1. Anal. S l. 6. c. 25.* (a) *Id. ib. c. 24.* (b) *Brerevvod. p. 132.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

portio inter naturam impervestigabilium, potentiæque cognoscitivæ imbelliam? Ubi enim objectum apprehendendi capacitatem excedit, simplicissimè Ignorantiæ Tenebræ oriuntur. Quod ipsum in *Gentibus* obtinebit, qui Revelationem supernaturalem, ex Verbi præscribto hauriendam, à sese spernunt & segregant. Nec de *Turcis*, *Samaritis*, *Judæis* & *Gingis-Chanicis* magnifica adeò speranda erunt. Nulli Principium μαθήσεως ex toto recipiunt; ex parte ad objecti supernaturalis cognitionem penitrare se queunt. Quanta verò in Prædicatorum cum Subjecto suo conjunctione aut sejunctione enormitas? quanta in identificatione eorum aberratio? Pars toto Cœlo in Messiæ designatione deviat: pars verba vitæ putidis suis commentis & blasphemis mendaciis pervertit. *Dissensus* proinde potiùs exspectandus erit, quàm *Consensus*; Disconvenientia potiùs complexorum propositionalium, quam Convenientia: A re siquidem, quam repræsentare, quamque significare debent, maximè discrepant.

§. XII. Sed res in aprico est. ***Umbram in Luce*** Dissertationem nostram inscribsimus; ***Umbram in Luce*** etiam dabimus. ***Umbra*** privatio est Luminis; sed non omnimoda. Tenebrarum hoc laudemium. Corporis interpositi opacitas nitentibus radiis transitum pernegat, ad latera tamen circumcirca tangentes disjicit. Inde in medio sibi opposito degenerem filiam candor effigiat. Magna insuper umbrarum varietas. Terminus alius alio imperceptior. Umbra ex eô resultat, modò clarior, modò obscurior. Opacum à luminoso spaciorum divortio nunc longiori, nunc breviori dividitur. Profundior exinde umbra, vel tenuior; productior aut contractior. Quid? quòd ipsa Tenebrarum crassities, (Ægyptias an exceperim, aut Nigrorem oculo nihil (c) cernenti

(c) *Dn. VVeigel. Not. ad Plin. II. H. N. 2.*

ſuffundi ſtatuerim?) Luminis reliquiis non (d) in totum ſpolietur? Largiamur proin intellectuali Lumini, quod ſenſibili non abjudicamus. Pater ille Luminum, inacceſſam Lucem habitans, Gratiæ ſuæ ſplendorem ſuper omnem Terræ incolam emiſit. Filius ejus æternus, Lumen de Lumine, Evangelii ſui Lucem toti orbi accendit. Cœleſtis Veritas omnes Mundi angulos perluſtravit. Filii Lucis toti, quanti quanti ſunt, à Juſticiæ Sole irradiantur. Revelationis claritudinem ſpeculorum inſtar læviſſimorum recipiunt, imaginemque ejus reflectunt uniformiter. Ea contra Tenebrarum Spiritus hujus ſeculi filiis opinationum conflugem objicit. Ipſi obſcuro Infidelitatis ergaſtulo ſeſe immergunt. In ipſo patefactionis ſalutiferæ meridie ſtertunt, aut oſcitantium more connivent. Caligo idcirco Opinaſtris ingruit. Tam denſa verò neutiquam, ut non divinitatis illa ſcintillula, ſana Ratio partim, partim radius à cœleſtis Verbi lucernâ reſiliens eandem diſcutiat. Illinc quidem Error & Falſitas, iſtinc tamen cum Vero Congruitas reſultat. Quamobrem velut *Lux ſalvificæ Notitiæ*, *Veritatis Chriſtianæ: ita Profanorum Conceptuum cum eâ Conſenſio & Diſſenſio*, *Umbræ* nomenclationem promeruit.

§. XIII. *Cauſas* utriusque prolixe inquirere, nec inſtituti ratio, nec pagellarum anguſtia patitur. Ex infra adducendis jam inſinuatæ ſatis diſpaleſcent. Unum loco plurium hic indicâſſe ſufficiat. *Talis effectûs, quatenus talis, talis etiam Cauſſa eſt.* Termini productio particularis, particularem pariter cauſſalitatem arguit. Tui ipſius *Umbram* contemplare. Ineptus eſſes, ſi determinationis principium in ſole quæreres. Opacum Corpus tuum imminutæ in oppoſito Lucis fundamentum præbet. Parilis Diſſensûs conditio. Nec Conſenſus diverſa ratio. Soli vultum oſtende.

Sub-

(d) *V. Alſted. Encyclop, p.* 1474.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Sublustris tui Imago non in eam plagam porrigetur, in quam tergum Lumini obvertentis sese projiciebatur. Utrobique Agens liberum es. Contrariorum insimul actuum caussam in sinu tuo persentiscas, soli tibi acceptam referas. Consule, si lubet, Ger. Jo. Vossium de Theol. Gent. I, 4.

§. XIV. *Methodi* faculam accenderem, nisi incertam adhuc Umbram subvererer. כתב בלי סדר השדה בלי עבודה *Liber sine ordine & methodo, ager sine cultura est.* Multiplex omne Erroneum : maxima in singulis Erronibus discordia : non una Paganorum domicilia. Confusionis hujus notanda quædam Distinctio. De *Judæis* Varenium adducere operæ pretium. Judæorum nomine illos quoque intelligo, qui Judaicæ Religioni addicti in Orientalibus Regionibus, Persiâ, Chinâ, Indiâ commorantur magno numero. Etsi enim in Chinâ non vocentur *Judæi*, sed *Israëlitas* se esse fateantur, adeò ut ipsi appellationem *Judæi* ignorent : tamen hi *Israëlitæ* (*sic dicti, quia ex X. tribubus sunt,*) eandem tenent Religionem, atque Pentateuchum aliosque V. T. Libros asservant. Subjicit: *Etsi autem in levibus quibusdam rebus Judæi à se invicem discrepent, ea tamen differentia tanta non est, ut diversas Sectas efficiat.* Sententiam hanc suam supra (c) quoque his verbis proposuerat : *Judæi parum inter se invicem dissentiunt, certè non tantum, ut diversas Sectas faciant.* In medium hæc relinquo. Non concordant sanè, quæ Jo. Stephanus Rittangelius, ex Judæo Christianus & Ling. Orient. in Elect. Acad. Regiomontanâ Prof. E. Not. ad librum Jezirah, de discordiâ eorum mutuâ affert, p. m. 33. seq. Conf. Hottingeri H. E. c. XII. p. 245. c. XV. Sect. 5. p. 932. Fasc. Diss. 3. p. m. 92. Itinerarium Benjaminis p. 28. & 30. Hottingeri Compendium Theol. Jud. c. 1. p. m. 213. Tergeminis quondam hic Populus opinatuum dissidiis divulsus fuit ; geminis hodiè

(c) *l. c. §. 5. p. 229.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

hodie Sectarum laborat studiis. Dispares olim fovebant sententias *Pharisæi*, *Sadducæi*, *Essæi*: in præsens *Rabbanitæ* & *Karæi*. *Pharisæi* (antea חֲכָמִים *Sapientes*,) פְּרוּשִׁים i. e. ἀφωρισμένοι מדרכי עולם *separati à communi vitæ consuetudine*, Jannæi Alexandri, fratris Aristobuli, filii Hircani, tempore demum appellabantur. Origo nomine antiquior, Prophetarum tamen ævo recentior. Celebris eorum sub Jonatha (f) Assamonæo, qui Christi nativitatem 140. annis antecessit, mentio. Αἵρεσις ista ab ipso Apostolo (g) celebratur ἀκριβεστάτη, sequioris postea commatis, in contemtum abiit. Genuinos interea antecessores agnoscas hodiernorum in Europâ *Rabbanistarum*, (רַבָּנִים) sive *Talmudistarum*. Ab his *Kabbalistas* tantum (h) volunt differre, quantum Talmud ipsum à Kabbala, sive secretiori Judæorum Theologia. Quod Græcis Philosophi, Chaldæis Astrologi, Magi Persis, Gallis Druidæ, Indis Gymnosophistæ, Ægyptiis Psontomphanechi; hoc Hebræis Kabalæi sunt. (i) Major sanè *Rabbanitarum* cum antiquis *Deuterotis* propinquitas, quàm *Sadducaeorum* veterum, & modernorum קְרָאִים *Karaorum*, Textualium, Scribturariorum sive Biblicorum, quorum largam messem Polonia, (k) Russia, Turcia, & Africa (l) in Marocci regno alit. *Illi* enim *Zadoko* cuidam, Antigoni Discipulo natales suos (m) debent, famoso מִינִים *Minaorum*, h. e. Hæreticorum convitio nobiles: Hi à קְרָא *legendo* dicti; esto, sub initia iisdem in castris militaverint, Epicureismi insimulantur, non revincuntur. *Essæi* חַשָּׁאִי, (aliis ipsi בַּיְתוֹסִים *Baithosæi*, quibusdam (n) *Rechabitæ*, aliis *Pharisæi*,) nomenclaturâ ex בית & אסיא combinatâ, eandem cum Pharisæis vetusta-

(f) *Joseph. l.* 13. *A. J. c.* 9. (g) *Act.* XXVI, 5. (h) *Hott. Thes. p.* 451. *Alsted. Encycl. p.* 14. (i) *Kirch. T.* 2 *œd. Æg. P.* I. *cl* 4 *c.* I. *p.* 212. (k) *Buxt. Synag. p. m.* 97. (l) *Brerevv. p.* 109. (m) *Tremell. Not. ad Matth. c.* 22. *m.* 50. *Hotting. H. E. P.* I. *p.* 9. *seq.* (n) *Hott. H. E. P.* I. *p.* 10.

tustatis gloriam nanciſcuntur. Pars enim חֲסִידִים *Chaſidæorum* h.e. qui triſtisſimo Maccabæorum tempore omnem perſecutionum vim ſummâ conſtantiâ exantlaverant, *in oppida* redeuntes, *Phariſæi, in montanis* permanentes, à חסה, quod eſt, in locum aliquem ſe recipere, *Esſeni* indigetabantur. Vid. Hoornb. ת״ה l. I. c. 1. p. 71. ad 74. Hotting. Theſauri Philol. l. I. c. 1. ſ. 5. à p. 25. ad 45. Cœl. Rhodig III,9. & VI,1.

§. XV. *Amentiſſima Mahumetanorum turba* (Scaligeri (n) verba ſunt,) *in duas ac ſeptuaginta Sectas discerpta eſt: easque omnes ridiculas. Manat verò à fontibus duobus, quorum altero ebrii ſunt Perſæ: vecordia hæc Imamia* (Irnemia corruptè in Archontol. Coſm. p. 613.) *vocatur: altera derivata eſt in Africanos, Syros, Arabas, Turcas: qui hujus Collegii Jus Leſhari nominarunt.* LXXIII. Hottingerus memoriæ prodit Hiſt. Or. II, 3. p. 364. ed. 2. primoque omnium, ex Texeira, in *Aliſequos*, & *Sunitas* diſpeſcit. l. c. c. 6. p. 366 ſeqq. Iſti, *Xyaby* (l. *Schiahii*) dicti, præ reliquis Perſæ ſunt. Dux Gregis (o) *Scheich-Haidar*, Propugnator *Iſmaël Sophi* fuit. Non Apollinis magis Græci, atque *Alis*, quarti à Muhammede Chaliphæ, reſponſa iſti venerantur. Gener hic (p) Muhammedis erat, non frater, quod Maierio (q) excidit. In ſociennis Indi etiam, Gelbini in Africà, plerique Arabum (r) memorantur. Hi libri *Suna*, ſenis voluminibus (s) dicta & facta Pſeudoprophetæ continentis, acceptores celebrantur. Omarem (t) Alcorani ordinatorem cum Turcis & Arabibus nonnullis ſuſpiciunt. Feraciſſima hæc caterva opinatuum, quodam tamen cum diſcrimine. Alteri amicabili, alteri implacabili diſſociatione à ſe invicem divelluntur.

C *Socia-*

(n) *Exerc. 258. ſ. 2. p. m. 795. Conf. Maierius in Hiſt. Syach Iſmaël. p. 145. Nicol. Belli T. 1. diſs. polit. 27. p. 372.* (o) *Leonclav. Hiſt. Muſulm l. 16. p. 386. ſeqq. Olear. Itin. Pers. V, 39. p. 676. ſeqq.* (p) *Ludov. Vartoman. I. H. O. 12.* (q) *l. c.* (r) *Archont. Coſm. p. 613.* (s) *Hoornb. Controv. p. 89.* (t) *id. p. 87. & 101.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Sociabilium Quinionem conſtituunt *Hanifai*, *Melkitæ*, *Schafai*, *Henbelitæ*, (u) *Schamrachai*. *Inſociabilium* ferè numerum abſolvunt *Muathazalitæ*, eorumque propago *Ghabetai*; *Aſcharitæ*, *Kadrai*, *Ghabrai*, *Dararai*, *Hamzai*, *Karmatai*, *Zindikai*. Choraſanæ ortas Hæreſes, Doctorumque in Turcià diſſentientium ordinem lubens ſilentii ſipario involvo. Adiſis Hottingeri H. O. II, 6. p. 340. ſeqq. Leonclav. P. 2. Chron. Turc. p. 92. Liquet hinc de *Varenii* judicio ſententia. *Mahometanos inter magnam in religionis capitibus* negat iſte (x) *diſcrepantiam*. Vereor, ne Ahmedis Arabſchiadis tectorium ipſi impoſuerit. Αὐτόπτης (y) ille geſtorum Timuri Scribtor nullum in ramis fidei diſcrimen inter Traditionis populum & Mutazalitas aſſerit; fundamentis verò ejusdem multum variare perhibet. Gratis incruſtationem illam Muhammedanorum obduci diſſidiis, Hottingerus (z) comprobat, cui & nos aſſurgimus.

§. XVI. *Gentilium Barbaries & Superſtitio* intentionis aciem abrumpit. Totam ejus Imaginem brevi tabellâ amplecti qui ſatageret, magnitudine confunderetur. Telluris maculas citius ſubduxeris, quàm Impietatis diverſitatem cogitaveris. Omnes fere orbis angulos Satanæ hic ab ortus occupat. Commodius idcircò in reliquo Diſſertationis corpore pernoſcitur, quàm in capite proponitur. Iſtud in frontiſpicio teneas. Ethnici juxta Bernardum Varenium Medicum (a) in *Europâ* nulli ſunt, etſi in ultimis terminis ad fretum Weygats in provinciâ Samojeda Idolorum cultores eſſe Belgarum navigationes teſtentur. Veſtigia hinc inde minima apud Sauromatas, &, ſi qui darentur, Hyperboreos obſervant alii. Auctores Jo. Lud. Gottfridus in Archontologia Cosmica; Lucas de *Linda* in deſcribtione orbis & o-

mnium

(u) *Vid. Azizus Neſephæus, P. 6. a.* (x) *l. de diverſ. Gent. Rel. ſ. 5. p. 229.* (y) *Hort. H. O. I. 3. p. 47.* (z) *H. E. c. XV. p. 654.* (a) *de diverſ. Gent. Rel. p. 233.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

mnium Rerumpublicarum. Edoardus Brerewodus Anglus, Aſtronomiæ in Collegio Greshamenſi Londini olim Profeſſor, quem latinè loquentem Celeberrimo Jonſtono debemus, in Religionum Scrutinio. *Gronlandi*-*am* ut taceam, Danis ſubjectam. Suecico (b) ſolo Idololatriæ infamiam aſpergere feruntur partes *Finmarchiæ* ſeptentrionales, & *Scrikfinnia*. *Lappia* adjicitur, occidentalisne an orientalis, conjectet alius. Majorem utriusque partem Chriſtum non noſſe, A. Ch. 1540. Damianus à Goës, Eques Luſitanus deploravit Polonicæ Ditionis ſunt diſperſæ in (c) *Lituaniâ* & *Samogitiâ* reliquiæ. In Majore Ruſſiâ notantur *Corelia* (jam Suedo parens,) & *Biarmia*. Hanc inter & Cherſoneſum Tauricã (Chriſtiani hîc Præcopenſes Tattari Varenio (d) Muhammedani Cluvero (e)) *Morduitæ* (f) ſtabulantur. *Aſia* populoſiſſima plures lethali iſthoc veneno infectos nutrit populos. Pila ducunt (g) *Tattari*. Hordæ eorum quaquaverſum ditæ. Auſtrales Sinenſibus literâ caninâ carentibus (h) *Zutadſen*. Occidentales Samarkanda ſuperbos ſupra §. 9. deſcribſimus. Orientales, ſeculi hujus ingreſſu Regni Niuche (i) Conditores, progreſſu Sinarum (k) Triumfatores, hodieque (l) Domini. Ipſi *Kataini* ſunt Tatari. Katai Regnum ipſisſima (m) Sina eſt. Ita Marcus Paulus Venetus nominat: ita Occidentales; Turcæ inſuper, Saraceni & Tattari. Sed ſeptentrionalem. meridionalis his (n) Mangin propriè. Hinc ipſi Tſchinenſes (o) interdum vocantur Chataji Regia Magni Chami Peking (p) hodiè dicta, eadem

urbs

(b) *Brerevv. c. 1. p. 77. & 92. Lind. p. 976.* Roß *p. 234. & 299.* (c) *Archontol. p. 335. Brerevv. l. c.* (d) *de diverſ. Gent. Rel p. 237.* (e) *Epit. Hiſt. p. 694.* (f) *Brerevv. p. 99. Archontol. p. 365* (g) Roß *p. 139. Mich. l. 1. de Sarmat. Aſiat. tr. 1. c. 2.* (h) *Joh. Neuhof Itin. Sin. p. 188.* (i) *Id. Deſcribt. general. Regni Sin. c. 18. p. 391.* (k) *ib. p. 397.* (l) *App. Scribti Sin.* (m) *Itin. Sin. p. 9* (n) *ib. p. 8.* (o) *M. Andr. Müller. Not. 51. in Azizum, ex Busbequio.* (p) *Joh. Neuhof Itin. Sin. p. 159.*

urbs eſt, quæ Xuntien; Cambalu (q) Veneto. Myſteria parcè faciunt, utut *Lammas* Antiſtites Indicos nutriant. Abominantur Muhammedanos, (r) Turcis, quos Hoei Hoei appellant, infenſiſſimi. In Scythiâ intra Imaum (s) malè conſiliatos invenias *Molgomſaos* & *Badaos*. Per omnia *India* loca, inprimis maritima, *Perſarum antiquorum* (t) coloniæ diffunduntur. Perſis natio quædam *Kebber*, Turcis in Syriâ *Druſi* permiſcentur: *Curdi* montana circa Moſal, inter Armeniam & Meſopotamiam incolunt. (Vide Brerewod. p. 99. Hotting. H. E. c. XV. p. 766. Kircher. Oed. Æg. T. 1. Synt. 4. c. 21. p. 377.) Singuli avitæ ſententiæ retinentiſſimi minimè inter ſe diviſi ſunt. Cæteræ Nationes factionibus mutuis diſtinguuntur. Trecentæ numerantur *Chinenſium*: tres eminent. *Prima Literatorum* eſt, *Confutii* ſuboles. *Secunda Sciequia* Indigenis, vel *Omiroſe*, Japonibus *Siacca* & *Amidabu* dicitur, Indoſtanorum progenies. *Tertia Lauzu* progenitoris nomen gerit, præcedenti ſecundas gerens. Ipſe, dum viveret, *Laotany* vocabatur: Lauzu cognomen eſt. Noſtris auribus Philoſophum ſenem ſonat, quod 80. annorum prægnationi fœtus (ſi Diis placet!) repigratus matrem miſellam damnaverit. (Vid. Nicol. Trigautius l. 1. Expedit. Sin. c. 10. & ex eo Urſinus **von Unterſcheid der Relig.** P. 1. c. 1. Kircher. T. 1. Oed. Æg. Synt. 5. c. 2. p. 400. Varen. de diverſ. Gent. Rel. p. 283. Joh. Neuhof Deſcribt. Sin. c. 8. p. 312. ex Martin. l. 4. Hiſt. Sin.) *Japonenſium* Sectariorum Xaverius IX. Caronius XII. corradit. Principes *Amidani* & *Xacani*. Sequuntur *Xingovini*, *Jenxuani*, *Foquexani*, *Jundaxuenſes*, *Xintani*, *Baracacque*, *Tendavi*, *Icoxuani*, *Legioxi*, *Neugori* à Cacubau inſtituti, *Jamambuxi*, *Gengues*, qui ultimi ſecundùm Caronium Sacerdotes montani, juxta Hagenerum

Jam-

(q) *ib. p. 209.* (r) *ib. p. 395.* (s) *Cluv. Introd. Geogr. V. 4. p. m. 284.* (t) *Varen. de div. Rel. p. 300. ſeq.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Jammaboos quoque h. e. Diaboli fugatores. Accedit Secta dignitatis & eruditionis maximæ *Icko*, vel *Ickoïs*, & alia item à *Faxequu* orta. (Vide Varen. de Relig. Jap. c. 1. 2. & 11.) In *Indiâ* præcipui nominis LXXXIII. sunt; celeberrimæ IV. *Ceuravvach*, *Samaraet*, *d' Gœgy* Eremitæ, & *Bisnou*. (Id. de div. Gent. Rel p. 295. ex Jo. de Twist Belgâ.) *Guzeratensium* qui suâ appellatione *Vaneax*, Lusitanorum corrupta *Baneanes*, nobiliores III. *Lonkah*, *Mexery*, *Baman*, vulgò *Bramenes*. (ib. p. 292.) Adde, quæ ex Abr. Rogier Linda producit p. 1145. & 1104. seqq. *Africa* dimidiam sui portionem inutilibus terræ ponderibus, vivisque orci mancipiis locavit. Notiores *Guinenses* cum vicinis, & *Monomotapai*. *America*, continenti nostræ magnitudine æquiparanda, si septimam ejus partem Christiano nomini mancipatam excipias, tota Inferorum Tyranno devota est. Brerevvod. à p. 81. ad 94. & 98.

§. XVII. Imensum ecce & indigestum *Paganismi* Chaos! confusas Penthei sectiunculas! Tentabimus tamen, quoad vires nostræ tulerint, miscellam ad *Geographorum præscripta* digerere. Non deficeret materia, digeriem singulis Fidei Capitibus attemperare; modò chartulæ sufficerent. *In Principiis Palæstræ Theologicæ hâc vice specimen daturi*: quod superest, Lectoris Benivolentiæ acceptricæ & Impensarum accremento commendamus. Hoc pacto *Christiana Veritas* in Solis, quod ajunt, mensâ *primum* exponetur. *Sectarum deinde Sententiæ concordantes* eô, quô memoratæ sunt ordine, subjungentur. Agmen *demum* claudet farrago *Opinionum discordantium*. Isthæc Apheteria nostra sunto. Tu verò *LUX MUNDI*, *mitte Lucem tuam* (u) *& veritatem tuam! Ipsæ ducent me.* בְּאוֹרְךָ נִרְאֶה־אוֹר (x) *In Lumine Tuo videmus Lumen.*

 CAP.

(u) *Ps. XLIII.* 3. (x) *Ps. XXXVI.* 10.

CAP. I.

DE

SCRIBTURA SACRA.

§. I.

R*eligionum profanarum Conſenſum & Diſſenſum* in primo ſuo conceptu reſpectivitatem involvere, ipſum aurium judicium comprobat. Habitudinem earum hic quidem loci ad normam *Veritatis Chriſtianæ* exigimus: ſed & hujus formalitas relationem quandam importat. Complexa Orthodoxorum cognitio incomplexam præſupponit. Utraq; dependentiam à principio dicit. Ultimatus Terminorum conceptus ſublimitate ſua rationis ſcrutinium tranſcendit. Concluſiones, quas Theologus format, ex peculiari quodam & proprio Principio vigorem ſuum acquirunt. Eatenus enim doctrina Eccleſiæ proximè apta eſt, veram terminare ſui cognitionem, quod ea, quæ divina Revelatio componit, affirmat; quæ dividit, ea negat. Iſthæc, canonicis Prophetarum, Evangeliſtarum & Apoſtolorum monimentis memoriæ prodita, infallibile probationis medium ſuggerit. Primus hic, proprius & ultimus Viatorum terminus; nemo plus ultrà. hîc Fides quieſcere jubet. כֹּה אָמַר יְהוָה (a) *Sic dicit DOMINUS*; ſacra fluctuantium eſt ancora. οὕτως γέγραπται, (b) *Sic ſcribtum eſt*, tutiſſimum contra Sophiſtas inſectantes eſt refugium. Nulla hîc Pythagoræorum (c) præjudicata opinio: cum ratione DEI valet autoritas. Subſiſtamus parumper in Propyleo, ex eo futuri ædificii formam præviſuri. התקן עצמך בפרזדור כדי שתיכנס לטרקלין *Præpara teipſum in veſtibulo, ut poſſis intrare in triclinium:* Ebræorum eſt monitum in Pirke Abhoth c. 4. Μέγιστον ἀρχὴ παντός. (d) *Maxima pars principium.* Hoc curioſè & obſerva-

tè

(a) *Jer. XIX, 1.* (b) *Luc. XXIV, 46.* (c) *Cic. 1. de N. D.* (d) *Ariſt. 2. Soph. Elench. c. ult.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

ac cognito, collineantium & aberrantium collíminium *axovíli*, quod ajunt, animadvertemus. Collimantibus Hermas, etsi non Pentelicos, carcerum custodes, collocamus sequentes.

§. II. *THESIS* I. *Solus DEUS Principium cognoscendi Religionem revelare potest.* Exploratum hoc Christianis ex Matth. XI, 27. c. XVI, 17. I. Cor. II, 11. compertum omnibus naturam Religionis æstimantibus. Divinus cultus, sive mediatus sit sivè immediatus, ex voluntatis libertate proficiscitur. Quis verò eandem, ex naturâ suâ indifferentem commovebit, ut hoc præ alio afficiatur, hunc præ alio actum eligat? Prævia sanè Bonitatis cognitio. Ab intellectus exercitio descendit ista. Illud ipsum verò quidnam in actum deducit? objecti certè præsentia. Quidnam verò hic istud? num existens? maximè. num intimè præsens? indubiè. Imprimis ergo cognoscibile? nihil minus. Infinita inter cognoscentem & cognoscendum distantia. Absentem putamus, quem ob cognitricis facultatis ineptitudinem non attingimus. Quid verò disproportionem objectivalem emendare poterit? Similitudo immaterialis? Expers materiæ nullam de se fundit speciem. Sensus incurrere nequit; impressa unde species? At per aliud imaginationi nostræ sistitur: ex Creaturis Creator intelligitur. Optimè. Abstractiva est intellectio, à posteriori, imperfecta. Cedo divinæ essentiæ quidditatem: ostende voluntatem! Istâ perspectâ, nondum Decreta ejus manifesta sunt. Quin & Mundi productio est revelatio. Soli idcircò DEO de cultu religioso ritè instituendo facultas, soli potestas.

§. III. Uno idipsum ore nobiscum *Judæi* prædicant. Paraphrastes Chaldæus Cant. I, 2. nomen Domini celebrat, quod Legem per manus Mosis, Scribæ illius magni, duabus Tabulis lapideis inscribtam dederit. Accinunt *Samaritani*

ritani (e) qui duas Moſis tabulas ſuperiori igni à DEO conſcribtas aſſerunt. Ita enim Chronicon Samaritanum p. 71 [illegible] *Eſt Arca illa fœderis, in qua ſubſtantia ſuperior* (cœleſtis,) *Tabula nempe, quas ſcribſi Igni ſuperiori* (cœleſti.) Quid *Muhammed*? Apertè ille (cit. Hackſpan, de fide & legib. Mohammædis, Poſit. 2.) Surata 27. *Nemo ſcit neque in Cœlo, neque in Terra myſteria abſcondita, niſi DEUS.* Memor apophthegmatis mendax complicibus ſuis perſuaſum reliquit, (f) *ſingulos Korani verſiculos Cœlo delapſos.* Hujus rei gratiâ Colloquiorum (g) cum Gabriele & DEO familiaritatem confinxit. Simili *Gentium* fallaciâ, quæ Sacrorum olim origines ad Deos autores referebant. Numa equidem nocturnorum cum Dea Ægeria (h) congreſſuum ſimulatione ad animos deſcendebat: Eadem, mutatis ſolummodò Perſonis, huc usque fabula luditur. Inferiùs adducenda fidem factura ſunt.

§. IV. THESIS II. *DEUS hujusmodi Principium cognoſcendi revelavit.* Facultatem nemo DEO denegat, qui perfectionem ejus per umbram tantum agnovit, I. Cor. II, 20. Voluntatem efficacem abſolutiſſima Bonitas perſuadet, Matth. XIX, 17. Salus hominum Religionis finis eſt. Anxiè hanc prima cauſa deſiderat, I. Tim. II, 4. Finis Intentio ordinata gemella includit media. Rom. XVI, 25. Act. XX, 27. Axioma publicus extra Chriſti Eccleſiam degentium conſenſus confirmat. Dum enim ſinguli commentorum ſuorum fontem cœleſte Numen accerſunt, tacitè nobis calculum addunt.

§. V. TH.

(e) *Hotting. Ennead. p. m. 19.* (f) *Id. H. O. II, 2. p. 217.* (g) *ib. I, 3. p. 241. Jo. Galenſ. de Or. & progr. Machometi, c. 3. ex libro Moium, p. 7.* (h) *Liv. dec. I. l. I.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

§. V. *THESIS III. Divina hæc Revelatio in Prophetarum, Evangelistarum & Apostolorum Libris, Hebraicè, partim Chaldaicè, & Græce conscribtis, & â primitivâ Ecclesia in Canonem relatis, tantùm continetur.* Explicata adsertionis ob Θεοπνευςίαν ratio, 2. Tim. III, 16. Θεοπνευςίας experimentum, interna meditantium commotio. Act. XVI, 14. Divinæ hæc fidei summa: humanæ, testimonium Ecclesiæ. A suspicione liberat rerum impensibilium recordatio, pensiculata scribentium conditio. *Judæorum* Adsensorum mentem circa fœderis veteris canonem עִקָּרִים eorum exponunt. *Articulo VI.* credunt בֶּאֱמוּנָה שְׁלֵמָה perfecta fide, *Veritatem* esse *sinceram omne, quodcunque* Prophetæ *docuerint & locuti fuerint. Articulo VII.* profitentur, *Prophetiam & doctrinam* Mosis *veram esse; eundem & Patrem & caput Sapientum esse omnium, quotquot ei coætanei fuerint, quotquot ante ipsum vixerint, quotquot denique post ipsum temporibus futuris victuri sint.* (Rationes prærogativæ hujus docent Buxtorf. Syn. Jud. c. 1. à p. m. 9. ad 12. Schickardus ב״ה p. 8. seqq.) Articulorum istorum commune nobiscum principium, Scribturæ Divinitas, teste Hottingero, Thes. Philol. à p. 95. ad 98. Θεοπνευςίαν de omnibus V. T. auctoribus, Daniele(i) etiam, si oblocutores excipias, confitentur. Pedibus in sententiam eunt *Pharisæi* & *Sadducæi*(k) *novantiqui*, quamvis, de Sadducæis paulò aliter sentiat *Voss. de Idol. l, 10. p.* 72. Discriminis hoc interest, quòd *illis* Enunciati præjacens; *his* unà cum *Essæis*(l) determinatio quoque exclusiva arrideat. *Samaritani* quoad *Pentateuchum*, cujus exemplar (m) Pinchaso (rectiùs Sacerdoti Israëlitico, 2. Reg. XVII, 28) acceptum ferunt, subscribunt. Unde in Anglicano opere alium Textum Biblicum aut Versionem ejus frustra quæsiveris: utut Lud. Cappellus

(i) *Hott. Thes. p.* 505. *Hoornb.* ה״ר *Proleg. p. 41. seqq. Joseph. X. A. 7.* *Cult.* (k) *ib. p.* 36. (l) *Id. Enn. p. m.* 16. (m) *Id. Thes. p.* 547. *Fasc. p. m.* 127. *H. E. P. I. p.* 11.

Crit. S. III, 20. §. 5. p. 205. ſcribat: *Fortè Samaritanis totius V.T. codex Hebraicus eſt, ſed veteribus literis Hebraicis deſcriptus.* Sanctitatem eidem exſertis verbis Chronicon (n) Samaritanum p. 49. vendicat, dum [illegible] *Legem ſanctam* nominat. Propiùs accedere videntur *Mohammedani*, qui utrumque ex parte agnoſcunt Teſtamentum. Hinc Azizus Neſephæus, Tatarus, in libro, cui titulus مقصد اقصى *Maktſad Aktſa*, i. e. *Profundiſſima contemplationis*, quique manuſcribtus idiomate Turcico aſſervatur in Bibliotheca Electorali Brandenburgica, æq; Scripturæ Sacræ, ac Alkorani teſtimoniis utitur, obſervante M. Andrea Müllero in Excerptis. Choragus eorum, Elmacino (o) teſte, Populo ſuo mandavit, ut *crederent Prophetis & Apoſtolis, omnibusque, qui ad eos demiſſi ſunt, libris.* Verba Arabica hæc ſunt: فامر امته بتصديق الانبيا والرسل وما انزل عليهم * Quæ ita vertit Erpenius p. 4. *Juſſit credere Veritatem Prophetarum, & Apoſtolorum, quiq; ad eos demiſſi ſunt librorum.* Et paulò poſt: وصدق الانجيل والتورية * eodem Interprete; *approbavitque Evangelium & Legem Moſaicam.* Hinc multus eſt in laudando Moſe, ejusque Lege. Obſervationem meretur, quod eandem Sur. XI. p. 122. & Sur. XLV. p. 284. vocat اماما ورحمة. Beidavi (p) enim Interprete *Librum* ſignificat, *qui facem in religione præfert & miſericordiam.* Salvator noſter paſſim ſalutatur (q) عيسى نبيجمهم عليه السلام *Iſa*, i. e. Jeſus, *Propheta, ſuper quo pax.* Surata Maid, h. e. Menſæ, (juxta verſionem Latinam XII. ſecundùm Arabes verò

(n) *Id. Ennead. p. m. 19.* (o) *Hiſt. Sar. l, 1. p. 3. cit. Hott. H. O. ll, 3. p. 248.* (p) *ib. I, 3. p. 80.* (q) *ib. p. 153. Schik. proœm. Tarich, p. 79.*

vero & translationem Gallicam V.) DEUS huncinmodum loquens introducitur: وَقَفَّيْنَا عَلَى آثَارِهِم
بِعِيسَى ابْنِ مَرْيَمَ مُصَدِّقًا لِّمَا
بَيْنَ يَدَيْهِ مِنَ التَّوْرَاةِ
وَآتَيْنَاهُ الْإِنجِيلَ فِيهِ هُدًى
وَنُورٌ وَلْيَحْكُمْ أَهْلُ الْإِنجِيلِ
بِمَا أَنزَلَ اللَّهُ فِيهِ *

H. e. interprete Schickardo in Procem. Tar. p. 99. *Substituimus in vestigia illorum* (sc. Prophetarum) *Jesum, F. Mariæ, verificatorem ejus, quam in suâ manu habet, doctrinæ, ac dedimus ipsi Evangelium, in quo est manuductio & Lux; ut erudiatur cœtus Evangelicus, per id quod instillavit DEUS in eo.* Gallicè Sieur du Ryer ita eloquitur p 76. Nous auons enuoyé Jesus Fils de Marie apres plusieurs Prophetes, il a confirmé les anciennes escritures, nous luy auons donné l' Euangile pleine de lumiere, pour conduire le peuple au droict chemin, auec la confirmation de l' ancien Testament, guide et instruction pour les gens de bien. &c. quæ Latinè ad verbum: *Nos misimus Jesum, filium Mariæ post plures Prophetas, ipse confirmavit antiquas Scribturas, Nos ei dedimus* Evangelium, *plenum lumine, ad conducendum populum in rectam viam, cum confirmatione V. T. duce & instructione pro bonis.* Præclarè omnia, nisi anguis in herba delitesceret. ὁμολογοῦσι στόματι μόνῳ, *profitentur ore solùm*, inquit Joh. Cantacuzenus, ex Imperatore monachus Apol. I. pro fide Christianâ.

§. VI. *Traditionariorum* fraudem Legis in oralem &

scribtam divisio & mutua oppositio denudat. Schammai, celebris ille Hillelis (r) æmulus, à גוי gentili quodam de Legum Judaicarum numero interrogatus: *Duas* (s) *omnino esse* respondit: *scribtam alteram, alteram ore traditam.* Moses scilicet in Acroaterio Sinaitico (t) Cabbalæ discendæ operam locavit. Ea ipsa sunt (u) חקים ומשפטים *statuta & Judicia*, quæ Moses Josuæ, Josua Senioribus 72. tradidit. Propagârunt Prophetæ & אנשי כנסת הגדולה *magnum Synedrium*. Temporis successu (x) singuli, postremò bini מקבלים auscultationi secretiori selecti. Certi tandem, videl. ראש בית דין או נביא *Præses Synedrii aut Propheta* in adversaria conjecerunt. Ea, si Diis placet, nactus R. Jehuda Hannasi alteram Talmudis partem *Mischnam* conficere curavit. Scribi cœpta τῶν πρεσβυτέρων παράδοσις, (y) Seniorum Traditio A. Ch 150. ultimam manum (z) Anno 219. experta est. Ἀνθρώπων ἐντάλματα (a) *Hominum mandata* nomenclator optimus Christus indigitat: ipsi ῥηθέντα τοῖς ἀρχαίοις, (b) *quæ dicta sunt veteribus*, pro verbo DEI vivi venditant. Unde impiata illa Vox: (c) התלמוד המקודש אין למעלה ממנו *Sanctissimo Talmud nihil est superius*. Verissimè scilicet! Sanctitatis enim omnis Scaturigo (DOMINUS TE increpet Satan!) בליליא הוא עסיק בשיתא סדרי משנה *noctu occupatus est in sex ordinibus Talmudicis*. Credat hoc Paraphrastæ Chaldæo (Cant. V, 10.) qui non dubitat, alteram Talmudis par-

(r) *Id. Thes. p.* 44. (s) *Buxt. Syn. Jud. p. m.* 67. *Hoornb.* ת"י *l.* 3. *p.* 169. (t) *Buxt. ib. p.* 48. *ex* R. *Bechai. Hoornb. ib. l,* 1. *p.* 59. (u) *Deut. IV,* 14. (x) *Hott. Enn. p. m.* 233. *Conf. Kirch. T.* 2. *Oed. Æg. P.* 1. *cl.* 4. *c.* 2. *p.* 221. *Carol. Sigon. V. de Rep. Hebr.* 10. *p.* 342. *Schik.* ב"ה *disp.* 5. *th.* 8. *p.* 89. *seqq.* (y) *Matth. XV,* 3. *V. Schik.* מ"ה *c. V. p.* 150. *Buxt. Gramm. Chald. p. m.* 437. (z) *Chemnic. Ex. C. T. P. I. p. m.* 23. *Hott. H. E. P. I. p.* 72. *Hoornb.* ת"י *proleg. p.* 6. (a) *Matth. XV,* 9. (b) *Matth. V,* 27. (c) *Buxt. in recens. op. Talm. p.* 245.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

partem *Gemaram*, quod itidem Apellæ volunt, (d) *à Sp. Sancto profectam esse.* Adeò *Paradotæ* frontem perdiderunt, ut Hillel, primus sui seculi (e) Pharisæorum, αὐτοπιστίαν sibi arrogare non erubuerit. Vid. Buxt. Synag. c. 1. p. m. 68. Caussam vis? חכמים עדיפי מנביאים *Sapientes præstantiores sunt Prophetis.*

§. VII. Sanioris (f) aliquantò mentis videntur *Sadducæi*, *Essæi*, horumque, ut quidam volunt, (g) surculus, *Karaitæ*, qui

Nullius addicti jurant in verba Magistri.

Utinam verò in verba Magistri nostri unici JESU Nazareni jurarent! Pari cum *Pharisæis* vecordiâ Libros novi Fœderis rejiciunt. Quid enim aliud innuit Bibliorum Judaicorum tùm impressorum, tùm manuscribtorum epigraphe: (h) עֶשְׂרִים וְאַרְבָּעָה *Viginti & quatuor?* Tot & non pluribus universa Synagoga Scributuram θεόπνευστον contineri contendit voluminibus. *Nullam præterea Legem à DEO ipsis dandam esse*, *articulo IV.* (i) mordicus defendit. Sanctum Evangelion עון גליון (k) *Revelationem Iniquitatis*, & און גליון (l) *Librum Iniquitatis* appellitat. Veritatem ejus quàm genuino, quod ajunt, rodat, Notæ Münsteri in Evangelium Matthæi Ebraicum explanant. Manifestè virus suum (m) evomunt R. Joseph Albo in libro Ikkarim, c. 25. orat. 3. R. Lipman in libro Nizzachon, Auctor libri תשובות למינים R. Isaac ben Abraham. Et qui aliter faciant incircumcisi corde? Majorum suorum vestigia premunt, qui magnum illum Prophetam alloquebantur: (n) *Nonne benè dicimus nos, quòd Samaritanus es Tu, & dæmonium habes.* Tàm præfractè enim

 Pro-

(d) *Hott. Enn. p. m. 234.* (e) *Id. Thes. p. 44* (f) *Hoornb.* ת״י *I, 1. p. 71. seqq.* (g) *Hott. Enn. p. m. 215.* (h) *Galat. I, 1. Hott. Thes. p. 101. Hornb.* ת״י *Proleg. p. 40.* (i) *Buxt. Synag. p. m. 4* (k) *Id. Lex. Talm. p. 42. Kirch. T. 1. Oed. Æg. s. 4. c. 6. p. 273.* (l) *Lipm. Niz. p. 12.* (m) *Hott. Thes. p. 512.* (n) *Joh. VIII, 48.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Prophetiam ejus (o) negant, ut & Talmudici ipsum, (p) ob *rejectas Traditiones, in fervido excremento*, excrementa ipsi Diaboli, *in Inferno cruciari* scribant. Vicit tamen & pervicit in orbe Terrarum Doctrina Christi, Novique Testamenti veritas & divinitas. Vid. Hoornb. ת"ה l. 3. c. 3. & 4. p. 263. seqq. qui convincendi in hoc negocio adversarios methodum tradidit. Nec aberraret, qui congressurus cum Judæo, veritatem & divinitatem V. T. in speciem convellere præsumeret. Forte feliciùs argumenta ab Antagonista prolata nostræ thesi applicari possent. Quod consilium aliquando *magni ardoris Theologus in Silesiâ* suggerebat, cùm publica indignatio ob Nobilem quendam Olsnensem, ad Judaismum inclinantem, in circulis fremeret. Pleraque N. T. dogmata, & citata in eo ex V. T. loca, in eundem sensum ab antiquis Judæis etiam exposita fuisse, probat Josephus de Voisin, in Pugionem Fidei Martini Raymundi, in prooem. p. 124. & 134. teste Hoornbek l. c. c. 3. p. 202. qui consulatur.

§. VIII. In Prophetas insuper & γραφεῖα injuriosi sunt *Samaritani*. כותיים שומרים תורה משה לבדה *Cuthæi solam Mosis Legem observant*, scribit Benjamin Tudelensis Itinerarii p. 38. Vid. etiam Hott. Thes. p. 547. Hoornb. ת"ה I, 1. p. 73. Samuelem (q) Magiæ & infidelitatis dehonestamento traducunt. [illegible] *Fuit*, ajunt, *Schemuel ex tribu Harun Levita, Magiæ & infidelitatis alumnus.* Josuæ præterea Librum quendam, Res ejus gestas commemorantem, (r) supponunt. Titulus ad calcem scribti adjectus hic est: [illegible] *Liber notus nomine Josuæ.* Eadem frontis obfirmati-

(o) *Buxt. Synag. p. m. 17. 19. Lipm. Niz. p. 22.* (p) *Buxt. l. c. p. m. 69.* (q) *Chronic. Samar. p. 134 cit. Hott. H. O. l, 3. p. 62. Enn. p. m. 20.* (r) *ib. p. 20.*

matione, quâ *Salomoni* ARS quædam NOTORIA, sive *Memorativa* obtruditur, *ipsi à Creatore Altissimo* (sic verba Prologi manuscribti habent,) *per Angelum suum Pamphilum* (uti glossa vult) *super altare Templi, nocte quadam transmissa.* Extra oleas vagarer, si νοθείαν ejus ad vivum resecare instituerem. Tractatu I. dicitur, *opus hoc approbatum* esse *autoritate Salomonis Manichæi & Enduchæi; post Salomonem pervenisse ad Apollonium, Artium meritò nuncupatum Magistrum, cui liberalium Artium natura quasi cessisse spiritualiter videretur.* Quid monstri hæc verba alant, non capio. Ex ungue leonem Eruditi judicent. Nec liquet, quid libri sit ࠎࠐࠓ ࠓࠆࠉࠀࠋ Samaritico charactere in folio describtus, Medinæ de Rioseco, civitate apud Vallisoletum in Hispaniâ repertus. Doctrinam ejus & methodum non multum à Talmudo dissentire, scribit Caramuel Apparat. Philos. l. 2, c. 138. p. m. 77. Paulatimne Samaritani Rabbinorum commenta receperint, an Judæi Samaritanorum charactere uti cœperint? Utrinque hæreo.

§. IX. Sed in orbitam. Impudentiores multò Subjectores sunt *Muhammedologi.* CIV. divinarum (s) Revelationum *Codices* excogitant. X. aut, si Kessæo (t) fides, XXI. libri ad *Adamum* cœlitùs demissi, complectebantur decreta leges, statuta, promissiones, minas, aliasque res in mundo postea eventuras. L. *Setho*, fide Kessæi, Elmacini & Patricidis, delati. XXIX. tantùm assignat Ahmed ben Joseph Eltiphasi apud Geladdinum, lib de appellationibus Nili. XXX. tamen idem ibidem & Kaab Elachabar apud eundem in Hist. Sarac. cum aliis ad *Enochum* referunt, cui primus Muhammed nomen ادريس *Edris* imposuit. Confer. Kircher. T. 1. Oed. Æg. S.I. c. 8. p. 66. seq. X. *Abrahamo* consecrantur. Præter *Legem Mosis* deinde, *Psalmos Davidis* & *Evangelium, Koranum* قُرْآن sive addito articulo Arabico ال, vulgò

(s) *Hoornb. Summ. Controv. l. 3. p. 97. Ursin.* von Unterscheid der Relig. *I. 2.* (t) *Hott. H. O. l. 3. p. 22.*

vulgò Alkoranum (à R. قرأ *legit* (u) Hebræorum imitatione, qui Biblia significanter מִקְרָא *Lecturam* vocitant) θεόπνευστον comminiscuntur. Hoc enim vocabulum تنزيل *Revelationem cœlestem* (x) (*à R.* نزل *demisit pec. cælitus quid Deus*,) significans, de lege ista Satura peculiariter usurpatum insinuat. Nec conjecturis opus est. Ipse *Muhammed Surata* 82. gloriatur, *divinitùs sibi missum Alkoranum.* Dignus, cui in suâ caussa fides, adhibeatur, quia domestico testimonio Soceri (y) Abubecri, ob id الصديق *Justi* vel *Veri* cognomine insigniti, fulta est. Lymphio namque ab Asina voce humana (quòd ne Bileamo quidem contigit,) Sigillum Prophetarum declaratus, jumento suo Alborach (Elberabil Simonetæ I, 3. f. 15. & 16. asini magnitudinem ac humanam vocem habente,) nocte quadam Hierosolymas profectus, supraque 7. Cœlos (in Epicuri Intermundia puto,) evectus (z) *DEUM ipsum tanto à se intervallo, quantum sagitta arcu missa bis transcurreret, præcepta tradentem audiit.* Opportunè inde, fabellam ex Korano allegantes, formulâ istâ: (a) *Vox Altissimi ait*; utuntur. Aliud siquidem Fanatico à Sergio, (b) Monothelitâ vel Ariano, Italico, (c) & Joanne Antiocheno Monacho, Judæisque (d) Phineâ & Abdia Ben Salon, dictum non est, nisi quod dictum est (e) antè Apostolis. Credendum est scilicet ampliùs, *Koranum Verbum DEI esse increatum*, ut tradit (f) autor libri كتاب الرسالة. Nisi integrum nobis sit, cum iis transigere, qui *duos in Alkorano* c. 2. Surata vaccæ dicto, *versiculos* 2000. *ante O. C. annis*

(g) crea-

(u) *Gol. Lex. p.* 1878. (x) *ib. p.* 2353. (y) *Hott. H. O.* I, 4. *p.* 290. (z) *Surat.* 63. (a) *Azizus. P.* 15. *b. c.* 3. (b) *Leuncl. Hist. Musulm. l.* 1. (c) *Volf. Drechsl. Chron. de Sar. & Turc. A.* 623. (d) *Hornb. Summ. Contr. p.* 86. (e) *Sur. de Lampad. cit. Hornb. ib. p.* 110. (f) *Hott. H. O.* II, 4.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

(g) *creatos* lubentissimè concedunt. Si enim increatus esset Liber sacerrimus, Ahmed Ibn Ali Maurus malè sibi consuluisset, quòd DEUM (solus hic increatus est,) suum, Korani puta exemplar à CL. Hottingero redemtum, Vulcano (h) consecrare destinaverat. *Schisma* istud *de Alkorano creato & non creato* ex Arabum monimentis fusè persequitur modò laudatus *Hottingerus* H. O. l. 2. c. 3.

§. X. Nondum amentiæ finis. Rejectamenta *Apocrypha de VII. Dormientibus*, quorum dormitorium A. 1630. Generosiss. Dn. Georg. Christophoro de Neitzschiz (i) è regione Constantinopolis apud urbem Gallatam sive Peram in horto quodã à Genizaris ostendebatur, (per foramen angustũ intrò reptandum; intus caliginosa caverna, septemque in eâ anguli:) Sur. 28; alibi commenta de *Equite Georgio* divinis Pandectis exæquantur. Plenè hujus fabulam in vitis Patrum Kessæus describit. Auctori (k) Genealogiæ Muhammedicæ p. 14. est جرجيس نبي عليه السلام *Gergis Propheta, super quo pax.* En! Rationis Entia, quàm pulcra admittant prædicata! Et ne solos Recutitos delirare sinant, secundariam etiam Legem, quam سُنَّة *Sunnam* nominant, venerantur. (l) Idem cum *Traditione* esse, vocabuli أَثَر usus approbat. Cum enim primò *Signum* importet aut vestigium, translatè *Memoratum*, quod per vestigia ab aliis ad alios pervenit; per synecdochen demum (m) cum articulo ال ad *Sunnam* restringitur. *In hanc* tanquam Legem ἄγραφον & *Coranum*, velut ἔγγραφον Legem, *Doctrinam suam distinguit* (n) *Muhammed.* Auctor Sunnæ allegatur Idaku, (o) Seculo XV. Γραὸς μυθολογίαν (*anilem fabulam*)

E autu-

(g) *Hilar. Prach. Not. ad Bakkascha R. Jedaja Happenini p. m. 3.* (h) *Hott. H. O II. 5. p. 314.* (i) *Vide Itiner. p. 45.* (k) *Hott. ib. l, 3 p. 149.* (l) *Gol. Lex. p. 1221.* (m) *Id. p. 17, 18.* (n) *Hott. H. E. c, 7. S. 1. p. 357. & 406.* (o) *ib. c. 15. s. 2. p. 655.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

autumes. Dicta Muhammedis & facta proponit maximè ri-
dicula. Sed quod de Epicureis affirmat Tullius, (p) quasi di-
ctata redduntur ab asseclis, quæ ille oscitans hallucinatus est.
Et ne fama rei desit, اهل السنة *Sunæ populus*
Turcæ (q) cumprimè audire volunt. In hoc distincti ab iis,
qui solo Corano innituntur, non minus tumidis, ut qui sese
(r) *Versificantes* vocitent. Dignum patellâ operculum. An-
tecessorum quoque numerum *Lukmanus* explere dicitur. (*Æ-
sopus* is est, CL. Hottingeri (s) judicio, qui demiratur (t) Kir-
chero ex crebra autorum lectione Arabicorum id non subo-
levisse. Trepidus hic est, quòd Persam patriâ, gente & re-
ligione Judæum contendant. V. *Oed. Æg. T. 2. P. 1. cl. 1. c. 5.
p. 40.* Adde *Schik. in proœm. Tarich p. 20.*) Exsertè Beidavi
656. من (٠) قرا سورة لقمان (٠) كان لقمان (٠)
له رفيقا يوم القيامة ✲ *Qui Sura-
tam legit Lukmani, ejus Lukmanus erit amicus die resurre-
ctionis.* Veniam mererentur, si Æsopus *Assaphi* (u) personam
sustinere posset. Errorem tamen putamus, ex Chronolo-
giæ diversitate ortum. Mirum sanè, quòd eum Prophetæ
axiomate spolient, qui *Ismaëlem* نبي *Prophetam*
agnominant, *Muhammedemque* suum in utriusque Testa-
menti volumine promissum: *Prophetam ultimum, Deique Le-
gatum* (quàm bellè, vide Hornb. Summ. Contr. l. 3. a p. 103.
ad 17.) somniant. *Persæ* equidem *Ali* suum, juxta Galen-
sem (x) filium Abcali (rectiùs, Abutalibis,) quique X. an-
norum, primus ex masculis post Chadigam uxorem Mu-
hammedi fidem dedit, *Prophetarum* admiscent choro, eun-
demque Muhammedi, quod Aharon olim Mosi, fuisse
commemorant. Quin Gabrielem imprudenter fecisse;
(y) quòd

(p) *l. 1. de N. D.* (q) *Olear. Itin. Pers. V, 10. p. 581.* (r) *Hott. H. E.
c. XV. p. 778.* (s) *H. O. l. 3.* (t) *Bibl. Or. add. p. 45.* (u) *Zehner. in Adag.*
(x) *c. 4. p. 8.*

(y) quod Ali tradendum Koranum Muhammedi detulerit. *Sagomorbarem Chanum à Tataris* instar Prophetæ magni coli suprà innuimus. Fidenter certè, uti *Gentiles* sua sive oracula sivè sacra volumina (z) jactitant. Eos inter *Brachmani Vedam* sive *Wedam* suum pro dictatoris dicto, imò pro numine observant. *Liber* est (a) *Samscortamicâ Linguâ, oratione vorsâ conscribtus, Credendorum & Agendorum compendium. Quatuor ejus partes numerant. I. Roggowedam*, quæ de causâ primâ agit, de materiâ primâ, de Angelis, Animabus, Præmio bonorum & Pœna malorum, de Creaturarum generatione & corruptione: explicat naturam peccati, quomodo illud condonetur, cui potestas ea sit, & quam ob caussam. *II. Issoure Wedam* quæ de Magistratu cui absolutam potestatẽ tribuunt, verba facit. *III. Samawedam* hæc Ethicam complectitur, virtutum exercitium, vitiorumq odium inculcans. *IV. Adderawanawedam*, quæ Templi Ritus, Sacrificiorum & Festorum rationem declarat. Postrema hæc pars amissa dudum est, aut (quod *in Notis* additur) abrogata, non ita multò post Incarnationem Christi fortassis. Reliquorum sacri Codices nondum mihi innotuerunt.

§. XI. THESIS IV. *Textus utriusque Testamenti hodienum incorruptus est.* Actum ageret, qui de probatione theseos multum desudaret. Prolixè rem totam exsequuntur B. D. Gerhardus, Exeg. L. de S. Sa. c 14. *Glassius Philol. S. l. 1. tr. 1. & 2.* Dn. D. Calov in Crit. Sacr. Ludov. Cappell. Crit. S I, 1. p. 1. ad 6. Addi potest *Hotting. Thesauri Philol.* p. 123. seqq. Amicè hic *Judæi*, prius quod spectat, conspirant. *Artic. IIX* exploratissimum ipsis est, (b) *totam legem perinde, ut ea hodierno tempore in manibus eorum est, ita per DEUM ipsummet Mosi esse traditam.* Et meritò. Tribulibus eo-

(y) *Leoncl. Chron. Turc. P. 2. p. 93.* (z) *Hornb. Summ. Contr. p. 58.* (a) *Abr. Rogier P. 1. Gentilismi, c. 5. p. 56. seq* (b) *Buxt. Synag. p. m. 4.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

rum Masorethis, à divinâ Providentia si recesseris, tribuendum, quod Israelis fontes plurè fluunt. Vere namque *Masora* סיג לתורה (c) *Legis Sepes* est. Quâ destitutis *Sadducæis* (d) incerti lectionis redduntur limites. Moliuntur equidem *Samaritani* Pentateuchi sui (e) præjudicio Hebræam Veritatem aggravare: quo autem cum successu, Hottingerus (f) in vindiciis, contra exceptiones Codicis Samaritani susceptis, planum reddit. Adeò enim integritatem tuetur volumen istud, ut interpolatio ejus LXX. viralis Versionis post Christum, autoribus Judæis Alexandrinis, mendas potissimum (g) promoverit. Telum ergò istud à Judæis & Muhammedanis in ipsos (h) justissimè retorquetur.

§. XII. Iniquissimus verò Judex est *Muhammed*, qui Centonis sui Sur. 3. 4. & 5. Judæis; in apophthegmatis verò أهل الكتاب *populum libri* (Christiani sunt,) falsationis postulat. Non æquiores Prætore suo pedarii. Minazim *Chalil* Schamachiæ ad ostensum Pentateuchum Arabicum, quem probè agnoscebat, Nobilissimo Oleario (i) ajebat *Chrab dur*, h. e. corruptum & antiquatum opus est, Koranus potior. *Demonstratio* (ficulneam credo,) *Judæos & Christianos Legem & Evangelium corrupisse*, *Ibn Hazemo* integri Libri materiem præbuit. Rationes, quas proletarias satis *Ahmed ibn Edris in Scribto* suo *Elenctico* adducit, Hottingerus H. O. l. 2. c. 3. p. 364. exhibet. Præprimis nominis Muhammedis ex utroque Testamento erasio objicitur: verùm pari facilitate rejicitur. Vid. Jo. Galens. de Or. & progr. Machometi, c. XV. p. 47. seqq. Antilogiis ex novo fœdere ab *Ahmed Alabedin Persâ* productis nervum incidit Philippus Guadagnolus Apol. pro Relig. Christ. c. 4. & 7. Vid. Hoornb. à p. 98. ad 103. Paulinarum Epistolarum integritatem quòd

ob

(c) *Hott. Thes. p. 137. Schik.* ב״ה *d. 3. & 4.* (d) *Buxt. de Orig. Punct. p. 42.* (e) *Hott. Enn. p. m. 20.* (f) *Thes. Phil. â p. 140. ad 153.* (g) *ib. p. 293.* (h) *ib. p. 123.* (i) *Itin. Pers. V. 40. p. 683.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

ob Christi adsertam Deitatem allatrant, pessimæ caussæ suspicionem ingerit. Id. p. 131. Muhammedis interim insimulationem cum provocatione ad Scribturas cap. Jona, & Surat. Vacca, concilient, qui cucurbitæ caput habent. Aut enim Impostor falsarios approbat, aut intentati criminis absolvit. Vid. Galens. l. c. c. X. XI. XII. XIII. XIV.

§. XIII. THESIS. V. *Sola hæc Scribtura authentica Credendorum & Agendorum Norma est; eatenus perspicua eadem, atq; perfecta.* Adamantino nexu Consectarium hoc antecedaneis subjungitur. Solus DEUS prima Veritatis mensura est, solus Bonitatis. Solam Scribturam fidei pariter & morum cynosuram constituit, Jes. IIX, 20. Luc. XVI, 29. Gal. I, 8. 9. solam Regulæ nomine nobilitavit, Ps. XIX. 15. Gal. VI, 16. Phil. III, 16. Solo igitur ejus præscribto standum, soli acquiescendum Deut. IV, 2. Apoc. XXII, 18. 19. Clarissimis illud verbis proposuit, Ps. CIX, 105. 2. Pet. I, 19. Aliter non potuit, quia aliter noluit. Omne Salutis nostræ negocium complectitur, à Sititore ejus profectum. Perinde est, sivè explicitè doceat, sivè implicitè insinuet. Utrovis modo hominem perficit, 2. Tim. III. 15. 17. Sola proin Fidei, sola bonis Moribus sufficit. Fatentur *Rabbini*, totam (k) V. T. Scribturam à Spiritu Sancto תורה dici. Fateantur etiam cum *Karaitarum* cœtu, vi etymi, Scopum esse, ad quem Cognitio nostra & Actio unicè collimare debeat. Optimè R. Bechai, Comm. in Pentat. p. 3, col. a. כל החכמות חוץ מחכמת תורתנו כלן יש בהם תערובת וסיג כנפת הזה שבולל הדבש ושעו׳ : אבל חכמת תורתנו הקדושה היא הדבש הגמור הנקי מן השעוה ומכל פסולת : *Omnis Sapientia, præter Sapientiam Legis nostræ, conjunctam habet mixturam & scoriam, quemadmodum favus & mel simul & ceram complectitur. Sapientia verò*

(k) *Hott. Thes. p. 94.*

Legis nostræ perfectæ purissimum & sincerum est mel, omnis fecis expers. Venustissimè (l) ibidem cum Magistris suis Legem לְכַלָּה *Sponsæ*, Cant. IV, 11. à perfectione dictæ, comparat. *Samaritanorum* Confessionem Chronicon eorundem exprimit. Ad calcem Pentateuchi (m) expressè dicitur. ࠀࠅࠓࠉࠕࠄ ࠔࠋࠌࠕࠄ *Lex perfecta. Muhammedi* Sur. 21. فرقان *Phurkan* appellatur. Caussam (n) Beidavi in Commentario subjicit, propterea, *quod discriminet verum à falso: aut Infidelitatem à fide?*

§. XIV. Caiphæ vaticinium excidisse autumes. Tanto cum animi prolubio Canonis subjectores dicam nobis scribunt, ut contradictionis gladio jugulum suum sponte offerant. Portentosas Talmudis Rabbinorumque prærogativas exscribere, nihil attinet. V. Halich. Ol. p. m. 77. Buxtorf. Synag. c. I. & Recens. Op. Talm. p. 222. seqq. Hotting. Thes. Philol. p. 555. seqq. Hoornb. תּ״ו I, 3. p. 102. seqq. Illud saltem apud animum nobis proponemus, quòd *Pharisaismus Scribturam S.* לְגוּף *Corpori, Traditiones* לְנשמה *Animæ* æquiparat. Ex unâ fideliâ multos dealbant (denigrant, rectiùs dixerim,) parietes. Simile isthoc Verbum DEI in literas redactum tùm sublestæ auctoritatis, tùm obscuritatis & insufficientiæ coarguit. Quid enim est גוף? quid נשמה? Illud materiæ, hoc formæ titulo insignitur. Quot verò parasangis hæc inter se distant? Divina (o) res forma est; informe Chaos materia. Imperfecta hæc est essentia: ista ἐντελέχεια. Dispiciamus propius. גוף h. l. humanum, vi oppositionis, corpus est. נשמה namque לאר׳ לבדו in Homine, eoque solo est. היא המדברת המכרת בין אמת ושקר בעלת החכמ׳ *Hæc habet facultatem loquendi & dignoscendi inter verum & falsum: domina Sapientiæ*: juxta Aben Esram (p) Eccl.

(l) *Ib, p.* 103. (m) *Id. Enn. p. m.* 19. (n) *Id. H. O. I,* 3. *p.* 85. (o) *Scalig. Ex.* 307. *f.* 29. *p. m.* 985.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

(p) Eccl c. 7. Quæ verò inter utrumque proportio? quæ æqualitas? Eodem res recidit, sivè Corpus istud consideres כאבן דומה *ut lapidem silentem*, quod R. Bechai in Par. Bresch. de primo homine affirmat, sive anima vegetativa & sensitiva jam instructum. Utraque sententia ex Ebræis Patronos invenit. Illo modo Scribtura S. truncus erit iners, imò cadaver; hoc, forma quidem aliquâ, incertæ tamen speciei actuata. Neque enim arboribus, neque brutis, multò minus hominibus ejusmodi substantiam annumeres. Rationis siquidem compos anima Homini Esse largitur, distinctam tribuit speciem. Ecce Traditionum autoritatem! ecce perfecti habiam! Hæ Scribturæ divinitatem largiuntur, hæ distinctam rerum cognitionem præbent, hæ inopiam supplent sermonis. O dementiam! O Impietatem! Fontem animadvertimus Dicterii Rabbinici (q): העסק במקרא היא אבד הזמן *In Bibliis studere, est tempus perdere.* Rationem instituti deprehendimus, quod ab anno (r) ætatis 15. Gemaræ dediti, in eâ comprehendendâ consenescant Sacrilegi.

§. XV. Citiùs Alkoranum Fezæ Juventus memoriæ mandat. Septennium (s ipsi præfinitum. Imò biennii, quinanni spacio eum addisci, Clenardus autor est in Epistolis. Scribturam nempe S. *Muhammedana* cohors lubidinis suæ metitur decempeda. (Vid. Ahmed Ibn Edris p. 144.) Primas in decisionibus *Koranus* obtinet. Hinc tot in eum cumulata Elogia, blando etiam Emblematum mangonio celebrata. Solos Christianos cœlestis Verbi splendor illustrat, reliquos Cimmeriæ obtegunt tenebræ. Ingeniosa pictura idipsum expresserat Margarita, Nani Marsilii Nobilis Senensis filia, ex captivâ Briseide Solymanni Imp. Otomannici Juno Conjuga (t) *Rossa* à colore rubicundo cognomina-

(p) *cit. Slevogt. d. th. 22. th. 7.* (q). *Vid. Hott. Thes. p. 556.* (r) *Buxt. Synag. c. 3. p. m. 121. Sckik.* בה״ *p. 67* (s) *Alex. Roß im Religion-Spiegel/ p. m. 185.* (t) *Joh. Fr. Niger in Annal.*

minata. Candelabra quatuor finxerat, candelis instructa. tres extinctæ erant, quarta flammam dabat. Maritus barbarus suum hoc Symbolum faciebat, lemmate addito: الله يرزق *Deus dabit*! Turcicum scilicet hoc phrenoschemate interpretabatur Imperium, Muhammedis lege (u) fulgidum. Nec aliud Ebrobekyr Bassa Budæus, vatiniano erga Christianos flagrans odio, in votis habuit. Orientem ille Solem adoraturus, Sultano Ibrahimo, Constantini thronum A. 1640. conscendenti, VI. Aulæa obtulit largis sumtibus per Institorem suum Rab Bencophen Venetiis curata. Principem inter cœtera Peristromata locum hæc ipsa impresia omine suo conciliabat. Meritissimo suo. إِمَام (x) *Dux* est Liber iste. فُرْقَان (y) Liber à Deo traditus, ut verum & falsum discriminet. Hinc *Veritatem* (z) eum toties insignit Muhammed. Imo أَلْكِتَابُ ipsa *Scribtura sacra* dicitur. Hunc enim vocula ista cum articulo significatum induit, censore Golio Lex. p. 1999. adeoque per Koranum ab Hottingero (a) ex Abulfar. p. 27. redditur. Quid prohibeslit jam, Codicis istius Sectiones, cum Hoornbekio, (b) Suratas dictas asserere, quasi Canones, Leges & Regulas? Juxta has incedendum scilicet! Sed non solas. Accedit enim, *Persarum* Decreto, (c) magni Prophetæ *Ali Doctrina*: *Turcarum* Senatusconsulto, أَلسُّنَّةُ *Traditio*. Supervenit أَلْإِجْمَاعُ *Consensus*, Utramque paginam, *Hanifæis* saltem, facit أَلْقِيَاسُ *Ratio*.

§. XVI. Sa-

(u) *V. Peristrom. Turc. p. 10. seqq. Kirch. T. 2. Oed. Æg. P. 1. cl. 1. a. 2. p. 17.* (x) *Gol. Lex. p. 150.* (y) *ib p. 1790.* (z) *Hott. H. E. c. 15. p. 778.* (a) *H. O. II. 3. p. 366.* (b) *l. 3. Contr. p. 78.* (c) *Varen. de divers. Rel. p. 265.*

§. XVI. Sana & recta toleranda esset, imo limitibus suis constricta, collaudanda. Nusquam eam & nunquam Ecclesia proscribit. (Vid. examussitatus tractatus Rev. max. & Magnif. *Dn. D. Joh. Musæi*, Præceptoris & Patroni mei obnixè venerandi, *de usu Principiorum Rationis in Theol. contra Vedelium.*) Corruptæ verò in mysteriis judicium permittere, est cum *Gentilibus* in sodalitium coalescere. Omnium enim hoc, cum *Sinensium* (d) *Majoribus*, fundamentum est: *ubiq; & in omnibus Rationis*, luminis puta hominibus cœlitùs concessi, *arbitrio standum esse*. Probioremne Synagogam & Mesgidam proclames? Omnia eorum deliria in hoc ultimò resolvuntur Principium: *Quicquid Ratio (corrupta) dictitat, illud verum est.* Si verum, reliquarum veritatum quoq; mensura est. Quænam, sodes, unanimitatis erroneæ puerpera? quænam Traditionum genitrix? Depravata Ratio (e). Infelix adeò obstinationis suscitabulum, *ut Zipangrii (Japones vocantur hodiè;)* in monstriformium Deastrorum cultu avito fervorem non remittant, ne Majorum (f) suorum lædere videantur autoritatem. Quinam isti, cognoscere aves? Chinenses sunt, quos errare (g) non posse, blaterant. Vix aliter *Indi in Golcondæ regno*, qui religionem suam implicita fide à Sacerdotibus suis (Bramenes hi;) hauriunt. Rationem ejus ne postules; solennis (h) majorum Traditio est.

§. XVII. THESIS VI. *Solus Scripturæ S. sensus, ad literam unicus, genuinus est, quem, adhibitis ritè adminiculis, ipsa in originali Lingua insinuat.* Sensûs unitatem formalis rationis (i) proprietas vindicat: Subsidiorum necessitatem Textûs originalis peregrinitas, consequentiarum evidentia

F & ver-

(d) *Ursin.* von Unterscheid der Relig. *P. I. c. 1. ex Trigautio.* (e) *Rom.* I, 21. 22. (f) *M. P. Venet. II. O. III, 7.* (g) *Varen. de Rel. Jap. c. I, p. 31. c. V. p. 112. de Reg. Jap. c. 25. p. 181. c. 26. p. 193.* (h) *Id. de div. Rel. p. 293.* (i) *V. Glass. Phil. S. p. m. 266. seq.*

& versionum varietas postulat. Exclusivæ infallibilitatem præcedentis conclusionis firmitudo evincit. Authentici idiomatis amussim Jesuita nobis commendet. *Hebræa Lingua est, ad quam verus & genuinus sacræ Scripturæ textus, veluti ad Lydium lapidem comprobaretur. Ita Kircherus T. 2. Oed. Æg. P. 1. cl. 2. c. 1. disq. 3. p. 50. In hâc* enim, *Chaldæa item & Græca, divina Eloquia DEUS nobis concredidit.* Addi potest præfatio Ben. Ar. Montani in Latinam ex Hebræa vetitate V. T. versionem, ad Christianæ doctrinæ studiosos, Lipsiensi quoq; editioni inserta. Herbam quodammodo *Judæi* porrigere videntur. Vulgatum est Rabbinorum (k) illud: אין שטא המקרא נופלת על המדרש *Stilus Scribturæ non cadit in Midrasch*, sive expositionem allegoricam. Nota est admonitio eorum, Scribturam per (l) Scribturam θεοπρεπῶς explicandam. Nihil divinius inaudias. Sed antiquum obtinent. Dicunt, at haud faciunt.

§. XVIII. *Pharisæi* olim vaticinia de Christo ex ingenio suo dimetiebantur. Literam attendebant (m) sensus mystici imperiti. Hinc mundani Regni fabula. *Sadducæis* τὸ ῥητὸν saltem arridebat, Consequentias deridebant. Κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν· Non ineptos dicas *Rabbanitas*, qui *Karaitas* פשוט sensum literalem ubique urgentibus, contradicunt. Num verò ineptius quid excogitaveris, quàm דרך הקבלה allegoriarū aucupium omne punctum ferre interpretibus? שבעים פנים לתורה *Septuaginta moduli sunt Legis interpretandæ*, Aben Esræ præf. in Pentateuch. rhythmica est modulatio. Videsis R. Josuæ Levitæ Halich. Ol. Tr. 4. c. 1. p. m. 114. seq: & c. 3. p m. 185. & 199. Tres potissimum (n) hodiè

(k) *R. Josua in Halich. ol. p. m. 47. Schik.* ב״ה *p. 156. seq. Hott. Thes. p. 228. 233.* (l) *Id. Enn. p. m. 233.* (m) *Id. H. E. P. 1. p. 5. 8. 10. Schik.* ב״ה *disp. 6. p. 116. seqq:* (n) *Rittang. Not. in lib. Jezirah. p. m. 27. seq. Glass. p. m. 303. ad 310. Hott. Thes. p. 233. seqq. Kirch. T. 2. Oed. Æg. P. 1. cl. 4. c. 5. p. 252. Hoornb.* ת״ר *I, 2. p. 90. seqq.*

hodie in deliciis ſunt : תמורה *Literarum interpretatio* ; גמטריא *arithmetica* earum *ſupputatio* ; & נוטריקון *vocum diverſarum ex ſingulis formatio*. Recens inventum appellatio olet. Divinæ tamen originis artem ſuperſtitioſis obtrudunt. Exemplum elegans Rittangelius(o) de Eſavo adducit. Cabbala ei perfricta adeo fronte tria maxima ſcelera, Furtum, Stuprum & Homicidium affricat, ut niſi Bartolus aliquis cauſſam ejus ſuſcipiat, in ære & corpore ipſi luendum ſit. Tanta interim vertiginoſos cœpit dementia, ut novitium *cerebelli* ſui *fœtum* דבר גדול *Rem magnam* ; *Spiritus S. intentionem* דבר קטן *rem parvam* autument. Et ne myſteriis expiſcandis remeligo objiciatur, Textum ſacrum punctis ſpoliant. Scilicet, ut nobis cum *Gallo* iſto *novi* (p) *Pſalterii machinatore* mirificas ſingularum vocum exſculpant ſignificationes. Quâ fide *Samaritani* Spiritûs S. mentem exprimant, Translationes (q) eorum docent. Eâdem plerumque, quâ Moſen Templi Garizitani approbatorem laudant, (r) & Onias IV. Pontifex Jeſaiam c. XIX. 18. 20. pro Templo in Ægypto exſtruendo allegat.

§. XIX. *Muhammedanorum* ψευδερμηνείαν Ahmed uterque, tum Sanhagius, tùm Iſpahanenſis ſuppeditat. Inſignis blaſphemia eſt, (s) quod Prophetæ Evangelici vaticinium de *Puero* nobis nato, de *Filio* nobis dato *Muhammedi* aptant. Manifeſta corruptela, quod pro *Elia* cum Moſe comparente, *Ali* ſubſtituunt. Moribus eorum inſolens non eſt, hiſtoriam in vaticinium pervertere. Plura qui deſiderat, Hottingerum paſſim & Hoornbekium adeat. Ineptiarum deſino. De *Legis perſonali*, quod vocant, *objecto* ſupereſſent quædam. *Partiale* id eſſe, & *Iſraëlitas tantum* (t) *attinere*,

(o) *l. c. p. m. 32. Conf Buxt. Synag. p. m. 93. ſeqq. & 119. Schik.* ב״ה *p. 118. ſeq.* (p) *Hott. Theſ. p. 210.* (q) *Id. Faſc. diſs. 3. p. m. 124.* (r) *Joſeph. l. 13. A. J. c. 6. & l. 7. B. J. c. 30.* (s) *Hott. H. E. c. 7. p. 336. H. O. l. 3. p. 368. ed. 2.* (t) *Id. Enn. p. m. 229.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Verpuli ganniunt. Gratis omninò. Sub Meſſiæ ſui adventum demonſtrabunt illud Sanhed. c.7. ſ. 6. גוי שעוסק בתורה חייב מיתה׃ *Gentilis* (Chriſtianus) *operam dans Legi, reus mortis eſt.* Candelam cœcutientibus accenderemus, niſi ſolem è cœlo tollerent. Pagellarum numerus manu, non ſacco ſerendum eſſe commonet. Ne ergo in ipſo, quod ajunt, limine impingamus, Atrium ingreſſuri, Veſtibulum relinquimus.

CAP. II.

DE

DEO TRINUNO.

§. I.

Patet auguſtæ Theologiæ Palatium, patet Adytum. Aditus Initiatis liber eſt. Omnibus revelata ſunt Myſteria. Miranda omnia, non rimanda proponuntur. Maximum Myſteriorum autor DEUS eſt Myſterium. Actus ille primus, medius, ultimus. Ubique principatum, hîc quoque obtinet. Primum Diſciplinæ ſupernaturalis eſſendi audit principium, finis etiam ejusdem objectivus eſt ultimus. Utrovis modo primas poſtulat. Primam quandam dari Subſtantiam, *innatum* (a) eſt *omnibus, omnibus quaſi in animo inſculptum eſt.* Teſtimonium מצות מושכלות κοιναὶ ἔννοιαι juxta (b) Hebræos perhibent. Sic reſplendet increati luminis ſimilitudo participata, ut æternarum rationum originem haut obſcuris indiciis manifeſtet. Manu nos quaſi docet Natura, ſupremam Univerſi *Cauſſam* agnoſcere. Ita Mundi opificem cum aliis, Ægyptiis etiam, quibus D E U S ⲪⲀϢⲒ. ϪⲚⲒⲦⲈⲀϢⲒ ϪⲒⲚⲒϦⲈⲚ i. e. mundus cauſſæ cauſſarum, (Kirch. T. 2. Oed. Æg. cl. 6 c. 2. p 404.) appellare nulli reformidamus. Rigidi nimis Ariſtarchi *Ismaëlitarum Loquentes* fuere, qui repudiato

(a) *Cic. 1. de N. D.* (b) *Hott. Enn. p. m.* 225.

to *Caussa* vocamine, *Agentis* vel (c) *Efficientis* nomine uti malebant. *Hoc praexistentiam sine effectu; isto necessariam Causati simultatem* inferri argutabantur. Nodus in scirpo. Quærimus ex iis, in quo esse Agentis vel Efficientis ponant formaliter? Dubio procul in actione, in effectione. Cogitent verò actionem, cogitent effectionem sine termino, sine effectu. Eâdem, quâ nos, difficultate se involvunt. אינש Utrobique par ratio. Agere præsupponit Esse; cur non & Caussare? A quo aliquid, tanquam à caussâ, dependet istud necessariò prius est eo, quod ab isto dependet. Si non tempore, minimùm naturâ. Caussam ergò sine præexistentia nunquam nobis imaginabimur. Hæc enim ratio est, cur Agens vel Efficiens non possit concipi, nisi opus suum præcedere cogitetur. Taceo, æternum Numen Efficientis præcipuè nomine Caussam appellari. Et si maximè Caussalitatis via hujusmodi nobis ingenerare posset conceptum, Eminentiæ prærogativa, defectusque omnis amolitio Caussati necessitatem oppidò evelleret. Prorsus ab hâc suspicione nobilissimum Ens nobiliorum creaturarum conditio liberat. Sed hæc אורחא א:ב.

§. II. Rectè *Judæi Theologiam* (d) dividunt in מעשה בראשית *Opus Creationis* & מעשה מרכבה *Opus Quadrigæ*. Hoc *supernaturalem*, isto *naturalem* Conditoris *Revelationem* insinuant. *Duo* (e) enim *sunt, quæ in cognitionem DEI ducunt; Creatura & Scribtura.* Hæc salutiferam in animo reponit noticiam; ista salutiferæ desiderium. *Nunquam & nusquam* ἀμάρτυρον (f) *(sine testimonio) seipsum DEUS reliquit.* Ubique Divinitatis vestigia renident. *Quocunque oculos vertimus, Specula offendimus*, juxta Dionysium, *quæ divinæ Sa-*

 pien-

(c) *Maim. More Nevoch. P. 1. c. 96.* (d) *Rittang. p. m. 27. Hott. Th. p. 77. Bux. Abbrev. p. 33. Kircher. Oed. Æg. T. 2. P. I. cl. 4. c. 1. p. 215. & c. 8. p. 289.* (e) *Augustin. in Ps. 34.* (f) *Act. XIV, 17.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

plentiæ ad nos reflectunt radios. Quotquot res creatæ sunt, tot divinæ vocis (g) quædam veluti reflexiones sunt, quæ nos ad divinæ essentiæ virtutes decantandas, (prius utique agnoscendas,) *continuò incitent.* Pulcrè proinde primum illud Ens Arabibus (رب العالمين) *Notarum, vestigiorum Dominus* dicitur. Significantius enim nescio quid Hottingerus (h) etymi observatione (à R. علم *signavit*) exprimit, quàm Gieuharæus, qui *Exercituum Dominum* (i) reddit. Verè Factura Factoris sui est signaculum.

Et levis est cæspes, qui probat esse Deum.

Quamobrem etiam de Existentiâ DEI stabiliendâ minùs sumus soliciti. Utut enim DEUM esse, per se notum non sit; omnes tamen, qui Principium aliquod Religionem cognoscendi agnoscunt, essendi simul Principium DEUM admittunt, imò præsupponunt.

§. III. Feris propiora *Barbarorum* Ingenia Ignorantiæ suæ relinquimus. Ἄγνοια est κατὰ διάθεσιν, *pravæ dispositionis; non* κατ᾽ ἀπόφασιν, *puræ negationis.* Ex *Japonum* (k) Historiâ comperimus, *Jenxuanam* in iis *Sectam*, nullam Divinitatem credere. Eodem crimine sese alligant pars Insulæ *Sumatræ* australis, & *Hornanæ* (k) ad novam Guineam *Insulæ.* Immanitate adeò efferatos novimus *meridionalis Africæ* incolas, omnesque (l) qui trans Tropicum hibernum habitant Populos, ut nulla apud eos sit Numinis suspicio, quia nulla religio. Easdem tibias inflat *Madagascar* (m) Insula. De *Americâ* quid referam? Manifestè impii sunt *Novæ Franciæ* (n) Indigenæ, eosque inter *Souriquosii*, (o) qui Cadiam sive Acadiam, partem puta australem, incolunt. *Virginiensibus in*

orâ

(g) *Jamblich. in Symb. Pythag. Flantibus ventis echum adora. cit. Kirch. T. 2. Oed. Æg. P. I. cl. 3. c. 5. p. 161.* (h) *Hexaëm. p. m. 279. &* 282. (i) *Gol. Lex. p. 1639.* (kk) *Varen. de div. Gent. Rel. p. 233.* (l) *Kirch. T. 1. Oed. Æg. s. 5. c. 4. p. 416.* (m) *Var. l. c.* (n) *Joh. de Laet, Ind. Occ. l, 2. p. 34.* (o) *ib. c. 16. p. 53.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

ora (p) *Mentaines* dicta (de *Novo Belgio* hoc Lætus (q) prædicat:) nulla Religio, nulla DEI cognitio. *Chichimecæ* in regione *Mexicana* (r) circa A. Ch. 621. primùm advenæ, mox *Novæ Hispaniæ* (s) incolæ, hodienum ab oppidis Mechoacanis S. Michaëlis & Philippi per 200. leucas (t) disseminati, rudes sunt homines, immanes, omnisque humanitatis pariter ac pietatis vacui. *Guajanæ* Incolas *circa* (u) *Cajana flumen*, Diagoræ, Theodori & Protagoræ, (x) quales vulgò (y) concipimus, ajas similes. Atheismo dediti *Brasilienses*, inque districtu eorum (z) *Petivares*. Anthropophagi *Brasiliani* (a) Europæis aliquando, sumtâ occasione à vehementi tonitru, Existentiam DEI huic Genti persuadere conantibus, impudenter ac blasphemè responderunt: *Talem DEUM nequam esse oportere, utpote cui volupe esset, Hominibus terrorem incutere.* Vah! nequissimos omnium! Impietatem eorum Vicini vel hausere, vel intulere. *Chilensium* certe (b) plerique extra omnem divinum agunt cultum, nullum dierum discrimen attendunt. Æquè densâ Erroris nube *Terra del fuego* (c) & *Fretum Magellanicum* (d) obvolutum est. Quænam hæc Intellectus obscuritas? quænam caliginis efficacia? Num sideris alicujus injuriâ lassata hominum vis deficit? Num DEUS aliorum temperamentum & dispositionem corporis proclivem fecit ad virtutem & sanctitatem, prout *Menasse ben Israël probl. XV. de Creatione*, Jeremiæ sanctificationem *c. I, 6.* exponit? In sensu absoluto Apostolus (e) de Gentibus pronunciat: γνωςὸν τȣ̃ θεȣ̃ φανερόν ἐςιν ἐν αὐτοῖς, *Id quod de DEO cognosci potest, manifestum est illis.* Ob exercitii itaq; intermissionem quid actum primum inficiabimur?

§ IV. Sa-

(p) *Luc. de Linda, p. 1119. ex H. Hudsone.* (q) *l. 3. c. 11. p. 75.* (r) *Læt. V, 11. p. 242.* (s) *c. 12. p. 243.* (t) *c. 25. p. 270.* (u) *Id. XVII, 11. p. 641.* (x) *Cic. I. de N. D.* (y) *Voss. I. de Idol. c. 1. p. 4. seq.* (z) *Læt. XV, 4. p. 548.* (a) *Varen. de divers. Gent. Rel. p. 234.* (b) *Lind. p. 1134. ex G. Marggrav.* (c) *Læt. V, 25. p. 270.* (d) *Varen. l. c. p. 233.* (e) *Rom. I, 19.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

§. IV. Sanè tanta vis est naturalis judicatorii, apud Barbarissimos etiam, ut superiorem aliquam naturam, maximeque venerabilem vel inviti agnoscant. Adversis pressi oculos ad cœlum (f) attollebant. Moderatorem sc. omnium ibi sedem fixisse, taciti subinnuebant. Bestias (g) dicas Nationem Hottendot/ quæ *Caput Bonæ Spei* occupat. Neq; DEUM neque Diabolum nosse, *Mandelslo* (h) asserit. Sub diluculum tamen (i) conveniunt, manibus se invicem apprehendunt, choreas agitant, sonoque meleagridum glocitantium æmulo clamorem Cœlo tollunt. Caussam Cerimoniæ vel Davus conjecerit. Creatorem Cœli & Terræ, in quem se credere ipsi interrogati confitentur, ululatu isto celebrare fortè satagunt. *Brasilienses*, quemadmodum etiam *Guaianenses* (k) *circa Cajanæ flumen*, Hipponis athei (l) consimiles, neque DEUM neque idola adorabant. Divinitatis verò scintillulam exstinguere poterant? Tantum aberat, ut reluctantibus etiam dictitaret Conscientia, sese Spiritum ab alio precarium ducere, Entitatem suam per participationem obtinere. Ea ipsa sc. quæ *Tulli Hostilii* olim Romanorum Regis feroces frangebat Spiritus, ut qui sacris dedere animum (m) minus virile censeret, vanissimis superstitionibus obnoxius degeret. Pari modo isti Circulatorum illusionibus (n) auscultabant, & eventuum futurorum omina attoniti frivolis è rebus captabant. Inexcusabiles ergò omnes sunt, qui, cùm DEUM esse cognoscere possint, æternitatis illa semina non eliciunt, aut, postquam cognoverint, ut DEUM non glorificant. (o)

§. V. Entis ex se actualis equidem ad intellectum no-
strum

(f) *Arch. Cosm. p. 274.* (g) *Varen. l. c. p. 233. & 241.* (h) *Itin. II, 16. p. 161* (i) *Jo. Jac. Saar Itin. p. 157.* (k) *Læt. XVII. 11 p. 641.* (l) *Plutarch. adv. Stoic. P. 3. Moral. p. 564.* (m) *Liv. dec. I. l. 1.* (n) *Læt. XV, 2. p. 547. seq.* (o) *Rom. I, 21.*

ſtrum poſſibilem nulla paritatis eſt proportio. מַלְאֶה מֵחֲקוֹר מֵחֲשׁוֹב מֵרוֹמְמוּתוֹ׃ (p) *Fatigat ſeipſum, quicunque conatur perveſtigare & cogitare aliquid de exaltatione ejus.* Convenientiæ tamen alicujus in aliquo & ſimilitudinis ſupereſt. Infinitæ ſimpliciter Eſſentiæ quidditatem quidditativè comprehendere, nobis non ſumimus: infinitum tamen eſſe Spiritum, mente apprehendimus. Nec hic verendum eſt, ut cum Typhone Oſirin (q) in partes diſcerpamus, arcæque includamus. Incomprehenſibilis Naturæ conceptus inadæquatos ratione noſtrâ tanquam adæquatos concipimus, ut diſtinctè magis Immenſitatem ejus perſpiciamus. Abſtractiva hæc & ænigmatica de DEO cogitatio, claræ ejus viſionis erit pronuba. Interea, *eruditi eſt hominis, unumquodque, ut ipſum eſt, ita de eo fidem capere tentare.* (r) *De DEO diviniſq; rebus ſine lumine ne loquamur*, Samii Philoſophi cautela eſt. Naturæ nos & Gratiæ lumen conjungentes lychnuchis noſtris ſplendorem fœnerabimur.

§. VI. THESIS I. *DEUS, Ens à ſe ſubſiſtens & eſſentialiter infinitum, unus eſt in Eſſentiâ, unitate ſingulari.* Θεὸν εὑρεῖν ἔργον, *DEI naturam invenire difficile eſt*, Platonis erat oraculum. Ἄρρητος eidem (s) & ἀκατωνόμαστος, *indictus & innominabilis.* Verè: quia juxta reſponſum Attali Martyris, (t) *nomine non indiget. DEO, qui ſolus eſt, DEUS vocabulum totum.* (u) Nobis interim proprium appellationis ejus Inſigne cognoſcere neceſſarium eſt. Quodnam apparentis ſibi Numinis *Nomen* eſſet, omnium piorum vox erat & deſiderium. *Confer Geneſ. XXXII, 29. Judic. XIII, 6.* אֵשׁ Tutiſſima hæc Chriſtianis via, quâ (x) primum *Subſtantia ultra*

(p) *R. Jedaja Happen. in Bak. ſ. 1. p. m. 1.* (q) *Kirch. T. 1. ſ. 2. c. 7, p. 153.* (r) *Boet. de Trin. c. 2.* (s) *Apulej. de Philoſ. Nat. p. m. 285.* (t) *Haymo de memor. Rel. Chr. V, 2. cit. Urſin. Acerr. p. m. 7.* (u) *Minut. Felix.* (x) *Danh. Hodoſ. phæn. 3. p. 138.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Subſtantiam (y) conceptum attingimus. Grammaticis hic licet eſſe Philoſophis & Theologis. שמו יהוה *Jehova* (juxta *Lud. Cappellum* (z) *&* *Waltonum* (a) יַהְוֹה Jahvo, juxta *Mercerum* (b) & *Hottingerum* (c) יְהֶוֶה Jeheve, aut etiam ſecundùm hunc, יֶהְוֶה Jehve) *nomen ejus*, Moſes canit Ex. XV, 4. Nullum ſignificantius. Nomen enim hoc שֵׁם הַהֲוָיָה *nomen eſſentiæ*, שֵׁם הַמְּפוֹרָשׁ *nomen explicatum*. Eo ipſo quidpe is, qui nomen iſtud ſibi impoſuit Ex. III, 15. ſeipſum explicat, quando ibidem v. 14. ait: אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה, *SUM QUI SUM*. ὁ ὢν ſcilicet, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt*, Apoc. I, 8. Uno verbo, αὐτοφυὴς & αὐταυτὸς, quod ultimum admirabili ſignificatus ambitu excogitavit *Scaliger*. (d) Perinde igitur erit, ſive DEUM *Ens* appellabimus, ſive *Eſſentiam*. Utrumque uſus non tàm extorſit, quàm rectè inſtituit. Illo modo denominativum quidem, minimè tamen denominativè prædicabimus. (e) *DEUS* enim *hoc ipſum, quod eſt, DEUS eſt: nec aliud eſt, niſi quod eſt, ac per hoc ipſum DEUS eſt* (f). Hoc pacto divinam ſubſtantiam cum Boetio (g) totam *Formæ* adſimilabimus, *quæ eſſe ipſum eſt, & ex qua eſſe eſt. Eſt* enim *DEUS, & maximè ipſe eſt.* (h) *Nullum in eo aliud, præterquam id, quod eſt, & ſic verè eſt id, quod eſt, quia tantùm hoc eſt* (i). *Ipſiſſima* nempe *Ipſeitas* (k). הַמְּיוּחָד *Proprium* (l) proinde hoc ipſi nomen eſt, Jeſ. XLII, 8 æternæ eſſentiæ ſignificativum (m), quod Samaritani in Pentateuchi ſui textu & translatione iisdem literis ࠉࠄࠅࠄ exprimunt.

Vide

(y) *Boet. de Trin. c.* 4 (z) *Orat. de nom.* יי *p.* 712. *epiſt. ad D. VVolphium Tigur. p.* 738. *ſeq.* & *Defenſ. c. Thom. Gatacker. Angl. p.* 735. *ſeqq.* (a) *Appar. Proleg.* 8. *§.* 19 *p.* 50. (b) *in Gen. II,* 4. (c) *Faſc. p. m.* 259. (d) *Ex.* 365. *ſ.* 2. *p. m.* 1119. (e) *Stal. diſc. Metaph. p. m.* 39. *Reg. II,* 228. *ſeqq. Geilfuſ. Pneum. p. m.* 41. (f) *Boet. de Trin. c.* 4. (g) *ibid. c.* 2. (h) *Id. de Perſ. & Nat. c.* 3. (i) *id. de Trin. c.* 2. (k) *Rittang. Not. ad l. Jezirah. p. m.* 3. (l) *Lipm. Niz. p.* 162. *V. M. Chriſtoph. Crines. Exerc. Hebr.* 5. *p.* 57. (m) *Capp. de nom.* יי *p.* 704.

Vid. Gen. II, 4. & alibi. Theodoreti (n) testimonio per Ἰαβὲ efferunt, & sic secundùm *Cappellum* (o) est Hebraicum יהוה quasi futurum esset Conjug. Kal à הוה ad formam יַעֲשֶׂה à עשה. Chaldæi modo duplici, modò triplici Jod expressere, Jacobus Tawusus in interpretatione Persicâ, Gen. II, v. 4. 7. 8. 9. 15. 16. 18. 21. duplici hunc in modum יי. Ægyptii ⲤⲈⲨⲪⲦ nominant, quasi *in eo DEUS* (p). Græci quidam admirandâ metamorphosi ob ignorationem characterum sive hodiernorum Ebræorum, sive Samaritanorum, quod quibusdam placet, (eò quòd Samaritani per duo Jod hoc nempe modo ꟿꟿ, nomen Jehova contractè expresserint:) in ΠΙΠΙ *Pipi* (q) transformarunt.

§. VII. Juvat aliarum quoque linguarum *divina nomina*, eaque magnam partem præmonstratore *Kirchero* (r) quadrilitera adducere. Germanicum nostrum GOTT (forte ab Heb. Arab. גוד *bonus*, gutt (s): R. جـــاد *bonus fuit* (t). item, ut & Æthiop. ገደመ፡ *dedicavit DEO* (u). minima inflexione Belga Goed/(vel potiùs Godt sicuti & Angli communiter cum uno o scribunt, Dani Gud) Anglus Good/ Scotus Goot/ Islandus *GUDI* effert. Latinorum *DEUS* pronunciatur Hispanis *DIOS*, Gallis *DIEU*, Italis *IDIO* (potiùs *Iddio.*) Hybernis *DIEH.* Quæ sine dubio Græcos natales agnoscunt Horum enim Θεὸς; Coptitarum ΘΕΟC, Peloponnesiorum verò ΔΗΟΣ, & ΤΙCC Moscovitarum (quibus tamagis in usu ГОСПОДИ, ceu patet ex illo, quod nunquam ferè non in ore habet: ГОСПОДИ ПОМИЛУИ)

G 2 ipsis-

(n) *in Exod. q. 15.* (o) *l. c. p. 712.* (p) *Kirch. Oed. Æg. T. 2. P. I. cl. 4. c. 7. p. 282.* (q) *Gerhardus Exeg. L. 2. §. 23. Glass. Phil. S. p. m. 365. Schik.* בה *p. 60. Hott. Fasc. p. m. 263. ex Hieron. ad Marcellam ep. 136.* (r) *T. 2. Oed. Æg. P. I. cl. 4. c. 7. p. 287.* (s) *Hott. Hex. p. m. 20.* (t) *Gol. Lex. p. 552.* (u) *Hott. Lex. harm. p. m. 51. Conf. Ludolph. Lex. Æth. p. 408.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

ipsissimum Cretensium ΔΕΟϹ est. A quo Phrygum ΖΕΥΣ & Ægyptiorum ⲐⲰⲨⲦ quantillum(x)abeunt? Cum Ebræorum אֱלוֹהַּ coincidit Chaldæorum אֱלָהָא, Syrorum ܐܠܗܐ, Arabum أَللّٰهُ (pro أَلْإِلٰهُ quod peculiari suâ formâ proprium fit, coalescente ل radicali cum ل articulari(y)). Mogorum (sive potiùs Mogolensium) *ALLI*, Ormusiorum *ALAI*, Mesopotamæorum *ELLA*. Adenorum *ILLI*, Maurorum *ALLA*. Soni confinis inter se sunt Saracenorum *AGDI*, Abyssinorum AGZI (lege *Ægdsi*, habent enim Abasseni እግዚእ፡ i.e. *Dominus*.) & Insularum Hesperidum *AGAD*. Quid convenientiæ spirent Æthiopum *ABGD*, Philosophorum *ABDA* & Melindorum *ABAG*, (de quibus Kircherus l. c. testatur), periti videant. Non dissonare inter se magnopere videntur Elamitarum *PARA*, Brachmanorum *PORA*, Zaflanensium *BORA*; & si addere placet Maldiviorum *OBRA*, & Paraquajorum *PIUR*. Narsingorum *BILA* & Sumatranorum *POLA*; Gymnosophistarum *TARA*, & Indorum *TURA*; Conganorum *ANEB*, & Angolanorum *ANUP*. Manifestè communes natales produnt Illyricorum, Croatarum, Dalmatarum & Polonorum *BOOG*, Hungarorum *BOGI*, Albanensium *BOGO*, & Bojohæmorum *BUEG*. (ita quidem repræsentat Kircherus: observandum autē, quod aliàs Bohemis magis in usu sit Büh, sicuti & Polonis Bog.) Reliquorum Populorum vocabula quadrilittera, quibus DEUM exprimere soleant, hæc Kircherus l. c. recenset. Videlicet, quòd Magis DEUS dicatur *ORSY*, Cabalistis אגלא *AGLA*, (z) Hethruscis *ESAR*, Bootiis *ARIS*, Thracibus *KALO*, Tartaris (aut potiùs Tataris uti Leunclavius vult, quemadmodum & Armenis Թաթար *Tatar*(a) ac Germanis Tatern / V. versio

(x) *Kirch. Prodr. Copt. p. 167. & 175.* (y) *Gol. Lex. p. 144.* (z) *Conf. Glass. Philol. S. p. m. 307. Kirch. Prodr. Copt. p. 153. Buxt. Abbr. p. 21.* (a) *Fr. Rivola Lex. Armen. p. 127.*

sionem Lutheri 2. Macc. IV, 47. iidem dicuntur.) ϴYAϬ *ANOT*, Tibethensibus *GENA*, Sinensibus *TELI*, Japoniis *ZACA*, Cambojis *MIRI*, Insulæ Philippinæ incolis *MORA*; Carmanis *SUNA*, Bactrianis *SILA*, Persis (intellige veteribus, nam hodie iidem Deum خدا, ceu ex vers. Bibliorum Persicâ & Oleario patet, nominant.) ΣΥΡΙ, Assyriis *ADAD*, (חדחד vel חדא) (b)) Georgianis *MOTI*, Armeniis [illegible] [illegible] (fortè ab [illegible] [illegible] *Fecit* (c)) Cyrenæis in Africâ *POPA*, (quod Dryopum πόποι redolet,) Americanis Canadensibus *BIUP*, Caleforniis *SOLU*, Mexicanis *BOSA*, Peruanis *ZIMI*, Quitensibus *HOBA*, Chilensibus *HANA*. Hæc ductu & auspiciis præfati *Kircheri* in gratiam curiosi Lectoris interserere libuit.

§. VIII. Fortassis tamen nullum commemoratorum Nominum æque לְשֵׁם בֶּן אַרְבַּע אוֹתִיּוֹת respondet, ac אהיה *Ehje* & יה *Jah*. (*Consulatur Hottingerus Fascic. Diss. 4. à p. m. 263. seqq. & B. D. Carpzov. P. Lips. P. Epicharmus meus desideratissimus, P. I. Syst. Theol. p. m. 83.*) Hoc cum apocope aut syncope; istud integrè eandem præ se fert originationem. Quod enim DEUS OPT. MAX. modò his verbis effatus erat *Exod. III, 14. Eheje* (juxta Tremellii versionem; Ar. Montan. appellativè reddit *ERO*,) *misit me ad vos*, sequenti *v. 15.* per *Jehova* interpretatur. Eo ipso nos condocefaciens, *Essentiam suam esse suam ipsammet existentiam.* Quæ explicatio est *Didaci Masii* (d), sana hactenus: minùs sana, quòd addit, *in solo DEO Esse non distingui ab essentia realiter.* Utut enim ad omnium Theologorum & Philosophorum consensum provocet, minùs tamen auctoritas ejus permovet. Ut enim Philosophos Salanos, nominatim B. Slevogtium disp. Theor. 14. th. 21. p. 287. taceam, pridem *à Rev. pl. atque Excell. Dn. D. Joh. Ad. Scherzero, P. P. in Almâ*

(b) *Hott. Fasc. p. m. 299.* (c) *Fr. Rivola Lex. p. 38.* (d) *l. 32. de Ente, c. 8. p. m. 243.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Philureâ, *Musagete meo singulariter suspiciendo, contra Eustachium*(e), edoctus sum, in alio prorsus Creatoris & Creaturarum consistere differentiam. Necessitas ea est existentiæ, quam *Samaritanus* quoque *commentator in d. l. v.* 13. (f) perspexit. Verba adscribi merentur. Ita verò infit: *Dicendo: ERO QUI ERO, Necessitatem Essentiæ ejus exinde innuit, nequit non existere, quia immutabilis ac æternus est ille, necessitasq; illius existentiæ.* Unde pulcrè admodum Ens Entium *Arabibus* absolutè dicitur ذات & الذات *Essentia*, &(g) القيوم (h) *Subsistens.* Rationem reddit *Georgius Elmacinus* (i) *DEUS*, ait, *est distinctus necessitate existentiæ, ab omni Ente.*

§. IX. Qui itaque est *is, qui est, primus* est *& ultimus*, *Jes. XLVIII. 12.* Si ultimus, non ob alium: si primus, non ab alio. *Quæ* enim *substantia, quæ substantialitas, quod existens, quæ existentitas, quæ existentia, quæ existentialitas, quæ potentia, ante Deum esse, fuerit?* ut *Candidi Ariani* (k) verba, absolutè sumta minimè Ariana huc accommodem. Si ergò non ab alio, à se subsistit. Si à seipso; etiam in se, ex se, per se & propter se existit. Si hoc, Substantiam ejus nullus terminus limitare, nullus finis coërcere poterit. Infinitatis abyssus umbratilem nostram intellectionem absorbet. Conceptum alium supremæ substantiæ essentialem captus noster capere non potest. Benè radicalis DEI natura R. Schabthæ (l) cum aliis Cabbalistis est אין סוף ברוך הוא *Infinitudo benedicta* אשר לאורו הגדול ואין קץ ואין תכלי' *illa, cui respectu luminis sui magnificentissimi nullus est finis neque terminus.* Etenim לו לעי' העי' שני למציאו־ת

Non

(e) *P. I. Metaph. q 1. interm.* (f) *Hotting. Fasc. p. m.* 266. (g) *Gol. Lex. p.* 894. (h) *Id. p.* 1954. (i) *Hist. Sar. l.* 1. *præf. p.* 1. (k) *l. de generat div. Verbi ad Mar. Victor. p. m.* 224. (l) *Rittang. l. Jezirah. p. m.* 68.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Non est caussa caussarum alia secunda caussa ad existendum: כי הוא סבת מציאותו בסבה פשוטה *quia illa ipsa est caussa existentiæ suæ in caussa absolutissima & simplicissima* (m). Duriusculus hic sermo, à quo etiam præfatus *Arianus* (n) *ad Marium Victorinum* non abhorret. *Prima caussa* inquit, *DEUS est, & sibi caussa est.* Emollire verò studet, cum subjicit: *Non, quæ sit altera alterius; sed ipsum hoc, quod ipsum est, ad id ut sit, caussa est. Est enim esse solum.* Sed nec *Afer* confutator ejus à phrasi ista planè abstinet. *Si DEUS*, ait (o), *caussa est omnium, &* ἰδ ὤνος. Et clariùs, adversarii verba assumens, ita infert: (p) *Si prima caussa, non solum aliorum omnium caussa, sed sui ipsius est caussa. DEUS ergò à semetipso & DEUS est, &* λόγος. Nos ἀκριβείας & ὀρθοδοξίας tenaces, quando DEUM à se esse dicimus, in sensu negato intelligere malumus.

Primum illud unum à se satum,
Unum illud ante unum DEUS;
Præcedit omne, quicquid est;
Nec notus ullis terminis:

rectiùs jam laudatus *Marius Victorinus* (q) canit. Eo ipso enim, quo prima caussa est, sui ipsius caussa DEUS non est. Quî, amabo, prima essentia simpliciter priorem se agnosceret? Qui infinitatis substantialis ratio consisteret?

§. X. Benè ex hâc *Unitatem* supremi Entis *singularem* inferimus. Ipse Jehova nobis præit *Jes. XLIV, 6.* Postquam enim dixerat: *Ego primus & ultimus;* è vestigio subdit: *ac præter me nullus est DEUS. Unus* ergò *& unicus est Jehova, Deut. VI,4.* Confitetur id nobiscum, divinæ contestationis memor, *Synagoga, Artic. 2.* (r) *Credo*, inquit, *perfecta fide, quòd* DEUS *Creator unus sit, quodq́ unitas talis, qualis in eo est, in alio nemine reperiatur.* Sensum confessionis *Maimonides:*

(m) *R. Abrah. F. D. l. c. p. m. 62.* (n) *p. m. 227.* (o) *p. m. 248.* (p) *p. m. 252.* (q) *hymn. 1. de Trin. p. m. 209.* (r) *Buxt. Synag. p. m. 36. 7.* (s) *cit. Hott. fasc. p. m. 321.*

des. in Jeſ. Tor. c. 1. 5. 4. (s) hunc in modum explicat : אחד שאין ייחוד אחד כמותו בעולם : *Ita unus eſt, ut nulla unitas ſimilis ei in mundo reperiatur.* Quæ quidem de indiviſione; ſequentia verò de ſingularitate capienda. אלוה זה אחד הוא ואינו לו שנים ולא יותר על שנים אלא אחד : *Hic DEUS unus eſt, non duo, aut plures duobus, ſed unicus.* Ratio: נאמר אחד לשלול ממנו הרבוי *Vocatur unus, ad removendam multitudinem. Autor libri Coſri, ſerm.* II. *p.* II.

§. XI. De *Samaritanorum* ſententiâ dubium oriri poſſet. Extra controverſiam eſt, Majores eorum Divinitatis gloriam uni Jehovæ debitam Idolorum commercio contaminaſſe. 2. *Reg. XVII, 28.* Nec una via ſecari cœpta eſt. E Babylonia, Eſar-Chaddoni Aſſyriorum (t) Monarchæ tum parente, adducti patrium poſuére idolum סכות בנות *Succoth Benoth.* Quodnam illud? Reſpondet Abarbenel in Commentario (u): פירוש בלשונם תרנגלת עם אפרחיה : *Explicatur in linguâ eorum Gallina cum pullis ſuis.* Plejadum imaginem intelligo, hoc nomine antiquis celebrium, Veneris cœleſtis ſymbolum, adſtipulante quoque *Viro Ampliſſ. atq; Excell. Domino Johanne Friſchmuth, LL. Orient. P.P. in Almâ hâc Jenenſi, Præceptore & Promotore meo obſervandiſſimo,* in *in Diſp. de Melecheth Cœli.* Ritus ſceleſtos potiùs, quàm cœleſtes, quos *Baruch c. VI,* 43 44. deſcribit, illuſtratos *vide à B. D. Andreâ Rivinô, P. P. & Philologo Lipſienſium celeberrimo, Præceptore quondam meo & Patrono benevolentiſſimo, in Diatribe Majanâ exotericâ de Panegyricis Majumis &c.* Cuthæi à Perſidis regione (x) Chutha, & flumine Chutho traducti, dedicarunt נֵרְגַל *Nergal* (uti Lipſienſis editio legit, aut dageſch extruſo נֵרְגַל Nerghal, ut Anglicana,) Galli gallinacei,

(s) *cit. Hott. faſc. p. m.* 321. (t) *V. Cluver. Epit. Hiſt. p.* 39. 48.
(u) *V. Buxt. Lex. Tal. p.* 1473. (x) *Joſeph. A. J.* IX, 14.

cei, Soli sacri, effigie [illegible] [illegible] i. e. *Dicitur gallus in lingua Samaritana Nergal*; teste Seduna, Patriarcha Gazensi, qui in Bibliothecâ Vaticanâ asservatur. Idem quoque תַּרְנְגוֹל Chaldæis & Syris (y) significat. Chamatæis Syris venerabilis fuit אֲשִׁימָא *Aschima*, Talmudistarum (z) opinione, בַּרְחָא קַרְחָא *Hircus calvus*, Panos capripedis camillus. Bina erant Hawæorum, bina Sepharvæorum simulacra. Ut mirer, *Judæorum Antiquarium* (quem tamen Seldenus syntagm. 2 de DIs Syris c. 9. p. 329. defendere videtur,) *l. c.* asserere, *quinq gentes totidem secum attulisse Deos patrios*. Hawæorum alterum erat נִבְחַן, ubi *Masora* notat זין רבתי *Sajin* (ut pronunciari hanc literam vult *Magnificus Ludolfus* (a),) *magnum*: quo etiam in opere Anglicano & ab interpretibus exprimitur. Targum Jonathanis reddit נִבְחַז *Nibhchaz*: Vulgata, *Nebahaz*: LXX. substituunt Εβλαζὲρ: MS. legit Ἀβλαζὲρ καὶ τὴν Ναιβὰς: Syrus & Arabs mutatâ unâ & transpositâ altera literâ in [illegible] *Jebzach* & [illegible] *Jabdsabha* mutant: nisi quis lapsu librarii Nun in Jod mutatum suspicari malit. *Tremellius* tamen per ן legens *Nibchanem* vertit à R. נבח *latravit* (b) ut ita hoc simulacrum fuerit latrator Anubis. Alterum dicebatur תַּרְתָּק *Tartak*, h. e. ut Talmud (c) tradit, חמור *Asinus*, Typhonis Ægyptii hieroglyphicum. Sepharvæorum alterum vocabatur אַדְרַמֶּלֶךְ *Adrammelech*, si Talmudi Babylonico credimus, formâ הפרד *muli*, si Hierosolymitano, טווסא *Pavonis*, Avis Junoniæ, effictum: alterum verò עֲנַמֶּלֶךְ *Anammelech*, quod secundùm Talmudicos הסוס *Equorum duellicam prolem*, Martis vectorem, juxta Talm. Hieros. פיסיוני

(y) *Hott. Lex. harm. p. m. 557. V. Buxt. Lex. Talm. p. 1474. & 1396. seq.* (z) *Buxt. Lex. Talm. p. 236. & 1473. Schindl. Lex p. 132.* (a) *Gramm. Æth. l. 1. p. 6.* (b) *V. Buxt. Lex. Talm. p. 1287. Schindl. p. 1059.* (c) *Buxt. l. c. p. 2666.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

פיסיוני *Phasianum* referebat. *V. Buxt. Lex. Talm. p. 37. & 1634.* Conjecturis quidem hæc omnia & Rabbinorum fide fulciuntur, num verò propterea eadem pro nugamentis cum Seldeno sint explodenda, nondum liquet. Cui enim tàm facilè persuaserit, *Succoth Benoth non tàm Deum aliquem Deamve, quam fanum ipsum ritusq; circa illud sacros denotare*, ceu ille censet *Syntagmate II. de DIs Syris*, *c. 7. p. 309.* Ut argumenta ex textu authentico omittam, tanquam proprium vocabulum vertunt non solùm LXX. Σωκχὼθ Βενὶθ MS. Βενθεὶ; sed & Jonathan, retentâ Ebræâ scripturâ סְכוֹת בְּנוֹת Syrus ܣܘܟܘܬ ܒܢܘܬ *Sochuth-benuth*, Arabs سَاكُوثْ بَنُوثْ *Sachutha Benutha*: *Nergal*, quam vocem cum Jonathane Versiones, Syra legens نرغل *Nergel*, Arabica نَرغَال *Nergala*, retinent, LXX. scribentes Εργὲλ capite truncant, ipsi *videtur fortè Ignis perennis in septis à Cutheis religiosissimè servatus*, *c. 8. p. 317.* Ubi quidem exosculamur rationem, à Persicæ nationis recepta religione depromtam, & originationem, quasi à Chaldaico ניר & גל aut גלגל aut גלל factum sit vocabulum, quod utcunque ita vel fontem ignis lucisve, vel ignem aut lucem versatilem, imò πυρᾳθεῖα ingeniosè interpretari conatur p. 319 Utrum verò hoc verbum עָשׂוּ *fecerunt v.* 30. & comma præcedens 29. admittat, merito dubitamus. De cæteris Deastris judicium suum ferè suspendit, c 9. p. 327. seq. Quomodocunque se res habeat, & quantulacunque fide Talmudistarum opinio statuminetur, nihilo secius divinâ fide certum est, eundem cultum Sepharvæorum Diis fuisse exhibitum, qui *Molocho* Ammonitarum idolo, 2. Reg. XVII. 31. Unde cum eodem l. c. & Syntagm. I, c. 6. p. 171. nec non Schindlero (d)

trin

(d) *Lex. p.* 1010.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

tria ista numina Adrammelech, (LXX. Senioribus Ἀδραμέλεχ, MS. Ἀδραμέλεκ, & per metathesin Syro ܐܪܕܡܠܟ & Arabi أَرْدَمْلَخ *Ardamlech*;) Anammelech, (Senioribus iterum Ἀνημελὲχ MS. Ἀμημελέχ, Syro ܥܢܡܠܟ Arabi عَمَالِيق *Amalik*;) atque *Molech* (Græcis Μολόχ, Syro ܐܡܠܟ *Amlech*, Arabi إِمْلَخ *Emlacha*:) nobis non immeritò eadem videntur. *Erat* autem *Moleci imago ærea, facie vitulinâ, passis manibus, concava, & 7. conclavibus interstructa: primum similæ, secundum turturibus, 3. ovi, 4. arieti, 5. vitulo, 6. bovi, 7. homini vivo consecratum. V. Buxtorf. Lex. p. m.* 108. *seq. Fagius annotat. in Targ. Onkeli Lev.* 18. 21. *Glass. Phil. S. p. m.* 1017. & *Seldenus*, de 7. conclavibus ambigens, *Syntagm. I, c.* 6. *p.* 169. *seq.* Etymon ejus felicissimè petitur ab Ægyptiis, quibus Planeta *Mars* ⲘⲞⲖⲞⲬ dicitur (e). Sacrificii ritum describit *Maimonides de Idol. c.* 6. §. 5. בהעברה בלבד היתה עבודה זו ששמו מולך: *Cultus ille*, inquit, *Molochi tantùm in transitu consistebat*, h. e. in traductione filiorum per ignem. In quo quidem nos ex parte consentientes habet, ob *Lev.* 18, 21. ex parte verò contradicentes, quòd liberos combustos negat: cùm disertè mactationis mentio fiat *Ez. XVI*, 22. Sed quid impedit, ipsam abominabilem Deastri hujus effigiem oculis usurpare, ut intuitu ejusdem Gentilium cœcitas eò magis patescat. Hoc vero vultu, juxta præcedaneam descriptionem, à Kirchero T. 1. l. c. p. 334. exhibetur

(e) *Kirch. T.* 1. *Oed. Æg. s.* 4. *c.* 15. *p.* 328. *T.* 2. *P.* 1, *cl.* 6. *c.* 4. §. 2. *p.* 415. *Prodr. Copt. c.* 5. *p.* 147.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358



§. XII. Cui libitum est ulterius picturâ oculos pascere, evolvat *Kircheri*, ex quo mysteria illa magnam partem decerpsimus, *Oedipum Ægyptiacum*, ibi *T. I. Syntag.* 4. *c.* 19. *p.* 367. *ipsum DELUBRUM SAMARITANUM* delineatum conspiciet. Continet verò illud Decadem Idolorum hieroglyphicam, quam allegatus Auctor sequenti ordine & numero distinxit. *I. Thartac, Typhon*, 2. *Nibhaz, Anubis*, 3. *Asima, Mendes*,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

des, *Pan*. 4. *Succoth Benoth*. 5. *Anamelech*. 6. *Ciun*, *Rephan*, *Saturnus*. 7. *Markolis*, *Mercurius*. 8. *Nergal*, *Harpocrates* 9. *Nesroch*, *tabula arcæ Noæ*, *Janus*. 10. *Adramelech*. Ubi quivis me non monente, advertit, circumjacentium etiam Populorum Deos admixtos esse: quos itidem explicare operæ precium ducimus. Nimirum *Chiun*, *s.* potiùs, ut Amos. V. 26. legitur כִּיּוּן *Cijun*, *Saturni Stella* est, ut *Aben Ezra* explicat, & *Ar. Montanus* vertit, quæ juxta eundem Rabbinum, *Schindlerum* (f) & *Buxtorfium* (g) Arabicè & Persicè dicitur كيوان *Kevan*. De Arabibus equidem negat *Kircherus* (h), verum non advertit ille, quod dicam scribat γλωσσαναλλικογνωσίας *experientissimo Golio*, cujus hæc verba sunt *in Lexico* (i) كَيْوَانُ Persicè كيوان, כִּיּוּן Amos V, 26. *Saturnus*. R. كان *Fuit*. Interim Jesuitæ hoc damus, originem appellationis inde repetendam, quòd Ægyptii Saturnum, quem Stellæ imagine depictum contendit, aut Herculem promiscuè κατ᾽ ἐξοχὴν ϨΙΚⲰN i. e. *Imaginem*, *figuram* vel *idolum* nominaverint, cùm aliundè edocti simus, Herculem Ægyptiis venerabilem ab iisdem *Chonem* dictum esse. *Conf. Glassius Phil. S. p. m.* 1009. *seqq*. Nec ab eo in divergia abimus, quòd vexatissimum illud ῥεμφὰν *Remphan*, quod *Act. VII*, 43. pro Amosi כִּיּוּן legitur, sit Ægyptiorum ΡΗΦΑΝ, uti ex *Onomastico Copto-Arabico Latino* exhibet (k), sivè ΡΕΦΑΝ, uti *Versio Bibliorum Copta* (l) *in Bibliotheca Vaticana* habet, aut ΡΗΒΑΝ, ut *in Prodromo Copto* (m), nisi sphalma sit, legitur. Ambabus nempe concedimus, Saturnum Astronomiæ deditis populis ob gigantæam magnitudinem sic dictum, & ab interpretibus retentam fuisse nomenclationem. Syrus enim legit ܟܐܘܢ

(f) *Lex. p.* 847. (g) *Lex. Talm. p.* 1023. (h) *T.* 1. *Oed. Æg. s.* 4. *c.* 22. *p.* 387. (i) *p.* 2082. (k) *T.* 1. *Oed. Æg. s.* 4. *c.* 22. *p.* 385. (l) *ibid. Act. VII*. 43 *juxta Kirch. v.* 34. (m) *c.* 5. *p.* 146.

Arabs (نسرا) Æthiops: ንስርት Ut adeò, judice *Dn. D. Præside, Præceptore & Patrono meo indulgentissimo, in Analectis ad Acta*, in illorum castra secedere opus non sit, qui τȣ Ῥεμφὰν incunabula vitiosæ LXX. Interpretum lectioni & insertioni literæ μ adscribunt. *V. Glass. l. c. p.* 1019. *seq. Markolis*, sub trigono lapide cultus, *Mercurius* est, Ægyptiorum Deus Terminus (n), de quo consule *Maimon. c. 3. de Idol. §. 2. p. 36. Ger. Jo. Voss. de Idololatr. II, 32. p. 474. Buxtorf. Lex. Talm. p. 1262. seq. Jo. Saubert. de Sacrif. c. 3. p. 51. Ursin. Acerra Philol. p. m. 410. Selden. synt. 2. de DIS Syr. c. 15. p. 350. seqq. Nesroch* demum (Syr. ܢܣܪܘܟ *Nesroch*, Arab. نسراخ *Nesracha* LXX. Μεσεράχ, MS. Ἐσθρὰχ, rectiùs juxta Hebræam veritatem נִסְרֹךְ *Nisroch*,) Sennacheribi numen (o), Saturnus, Belus vel Janus, sub figura *Arcæ Noë*, ex ejus reliquiis in monte Ararat vicinis confectæ. (נְסַר Chald. & Talm. *Tabula, Asser* (p).) Ansa ἐθελοθρησκείας fortasse arca fœderis.

§. XIII. Sed ad *Samaritas* revertamur. Implacabili odio eos Pharisæi hodieque (q) prosequuntur. Idololatriæ eos incusare non desinunt. Argumentum, *Columbæ simulacrum tempore R. Meir in jugo montis Garizim inventum.* Tract. Cholin, f. 1. Meliora nos ominari jubet *Samaritanum Chronicon. P.* 141. illud memorat, non aliâ de caussâ Alexandrum Magnum Nables (Neapolis sive Sicimæ) expugnationem meditatum fuisse, quàm quòd statuam ei erigere aversati fuissent. Declinatam v. esse iram ejus, quòd filiis suis, consilio [Samaritan] Pontificis sui Maximi, Alexandri nomen imposuerint. Causa additur: Timor Domini. Calumniam funditus evellit cycnæa Akbonis Pontificis cantio. Ita enim filium suum Nathanaëlem moribundus alloquitur: [Samaritan] *Fili mi, cave*

(n) *Id. Oed. Æg. l. c. p.* 392. (o) 2. *Reg.* 19, 37. (p) *V. Buxt. Lex. p. m.* 914. *Hott. Lex. Harm. p. m.* 283. *Schindl. Lex. p.* 1180. (q) *Rittang. in Jezirah, p. m.* 33. (r) *Hott. Enn. p. m.* 30.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

cave, colas quicquam, præter Deum. Confeſſio iſta non demum Adriani Imp: ipſi coætanei tempore nata. Altiori circumſpicientiâ opus eſt. Manaſſi, Jaddi fratri idolomaniæ publicæ exaugurationem adſcribit *Ger. Jo. Voſſius*(s). Subſcribtores nos facilè invenit. Conjecturam firmat *Joſephi l. XI. A. J. c.* 8. narratio. Valdè enim ſimile veri eſt, hominem ſacerdotalis dignitatis, vel cum divortii periculo retinentiſſimum, patrium Deum non ejurâſſe. Pactum Soceri ejus Sanballath de Templo condendo aliud non ſuadet. Hieroſolymitano æmulum ſurgere debebat. Ipſi Samaritani, tranquillo Judæorum ſtatu, illud *DEO maximo inauguratum* profitebantur. *Nulli DEO,* (Gentilium intellige,) *innominato Numini, ſolennes ibi victimas à majoribus immolatas*, poſteri ὑπομνήματι *Epiſtòla ad Antiochum* (t) agnoſcunt. Sacerdotes aliique transfugæ non religionis ſuæ odio, ſed conjugum deſiderio ad Sanaballeten ſeſe recipiebant. Ipſe filiam Nicaſo Manaſſi in matrimonium tradiderat, vadem futuræ cum gente Judæorum amicitiæ (u). Quæ verò animorum conjunctio, quæ neceſſitudo tum temporis locum invenire poterat? Sine dubio ea, quam Chamor olim Sichemi dominus cum filio ſuo comprobaverat, *Gen. XXXIV.* 24. Sacrorũ maximè communitate in animos Hebræorum irrepere ſtudebant, *Eſd. IV*, 2. *Conf. Nehem. XIII*, 4 5. Eamſe privilegiorum & imunitatum cum Judæis communium avidi, coram Alexandro M. publicè crepabant. Etſi enim ſeſe Judæos eſſe negabant, *Hebræi* tamen *videri volebant* (x). Accedit illud, quòd in ædificatione Templi Garizitani ſeſe legis Moſaicæ jactabant exſequentiſſimos. Reliqua taceo. Si autoritate depugnandum eſt, Achilles in arenam ſequentes producimus. *Hodiè*, inquit *Scaliger* (y), *ita ab idololatriâ abhorrent, ut ipſis Judæis ſuperiores videantur.*

Hau-

(s) *l. 1. de Idololatr. c. 23. p. 175.* (t) *Joſeph. XII. A.J. 7.* (u) *Id. XI, 7.*
(x) *Id. XII. 8.* (y) *de Emend. Temp. l. 7. p. 617.* (z) *Itin. p.* 38. 39.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Hausit hoc sine dubio ex *Beniamine Tudelensi*, qui circa A. Ch. 1173. optimum de illis testimonium (z) perhibet. Consulantur *Constantinus L'Empereur Notis ad eundem p.169. Ludovicus Cappellus Critica Sacra III, 20. p. 204. seqq. Brianus Waltonus in Appar. Bibl. proleg. XI, 6. p.76.*

§. XIV. Frustra ergò *Athanasius Kircherus*, (Vir, cui vulgò occinitur: ⲫϯ ⲛⲁⲟⲕ ⲉϥⲥⲁϫⲓ, Φθᾶς σοὶ λελάληκε (a), *Phtas tibi locutus est.*) *Seduna Archimandrita Gazensis, in Bibliothecâ Vaticanâ*, adseveratione in contrarium nos abripere conatur. *Commenti sunt*, inquit ille (b), *Sanbellet secuti de corde suo instituta*, *ET SIMULACRA GENTIUM*. Gradu ferè anxium depulisset. Quem enim non percelleret vir *præter Latinam, Græcam, & Hebræam linguam, Arabicâ, Chaldaicâ, Syriacâ, Armenicâ, Samaritanâ, Copticâ sive Ægyptiacâ, aliisque adeò instructus, ut Græcis, Rabbinis, Arabibus, aliarumq; Asiæ & Africæ provinciarum advenis loquatur passim linguâ vernaculâ* (c)? Ast animum illicò reddidit Samaritanæ scribturæ inspectio. Verba *Seduna*, quæ citat, hæc sunt: ࠁࠃࠅ ࠌࠋࠊࠌ ࠇࠒࠉࠌ Eadem, *Kirchero* confitente, quæ ex *l. Juchasin, p.14.* exhibet *Hottingerus Fascic. diss. 3. p.m.149.*: בדו מלבם חקים *Fecerunt de corde eorum statuta*. Quæ conferentes nescio qua suspicione solicitant, quod ࠌࠋࠊࠌ pro ࠌࠋࠁࠌ excusum est. Non tam facilè Samaritanorum ࠊ cum ࠁ, ac Hebræorum ב & כ confundi posse autumaverim. Quicquid sit de hoc mendo, ne apex quidem verborum horum: *ET SIMULACRA GENTIUM*, quæ ipse tamen in versione suâ ponit, in textu authentico apparet. Insolens hoc Patri non est: plus vice simplici sibi dat licentiam. Novi, quæ *Dominus Præses in Prodromo ejus Copto* desideret. Arabismi ignorantiam notat *Hotting. Bibl. Or. c. V. p. 316.* Sed non libet aliorum παρεργάματα observare: ista in præsens indissimulabilis veritas extorsit.

§. XV. Ha-

(a) *Oed. Æg. T. 2. P. I. cl. 3. c. 1. p. 5.* (b) *ib. T. 1. s. 4. c. 19. p. 363. seq.* (c) *C. Schottus in Propyl. Agonist.*

§. XV. Hactenus Synagogam Samariticam à reliquâ non abire, sufficienter, ut opinor, ostensum. *De Mesgida* jam dispiciendum est. Explorata hîc omnia, comperta omnia & meditata. Lippis, quod ajunt, & tonsoribus nota est solennis Muhammedismi professio: لا اله الا الله وهو *Non est DEUS, nisi DEUS*, nempe *ille*: quam cum alterâ ejus parte, quod nim. *Muhammed* sit *servus & apostolus* ejus, Azizus Tatarus in manuscribto suo Turcico vocat شهادت *Symbolum*. Secutus Antecessorem suum Muhammedem, qui confessionem istam duali numero شهادتين *Duo Symbola* vocavit. Sigillo enim ejus, teste *Elmacino* (d) insculptum erat: *IN DUPLEX TESTIMONIUM.* Quo ipso procul dubio confessionem hanc indicare voluit (e). Omnes enim, qui Islamismum suscipere volunt, erecto pollice, in hæc pauca verba jurare debent: *Credo unicum tantùm esse DEUM, & Mahomedem ejus Prophetam* (f). Quod ut declinaret *Ludovicus Vartomannus, Senator Romanus*, peregrinator in Oriente minùs cautus, insaniam simulavit; minimè verò idipsum exhorruit *Beza*, personatus ille Judæorum Rex à Nathane quodam Pseudoprophetâ unctus, qui hodiè *Musulmanus Genizarus*, prout publicæ tabellæ docent, *Pseudo-Messiæ* gloriam cum *janitoris* officio in aula Constantinopolitana commutavit. Tantâ cum ignominiâ repugnax Messiæ verò exspectatio confunditur! Sed hæc obiter. Strenuus. Unitatis propugnator *Koranus* est. Duo ex eo testimonia sufficiant. *Sur.* 2. *v.* 159. dicitur: والهكم اله واحد * *Et DEUS vester DEUS unicus est.* Et *Sur.* 5.

وَمَا مِنْ اِلَهٍ اِلَّا اِلَهٌ وَاحِدٌ *

At non est de DEO, nisi DEUS unus. Hujus memoriam ut animis suorum eò felicius imprimerent Sacerdotes Turcici,

I mone-

(d) *Hist. Sar. l*, 1. *p.* 12. (e) *Andr. Muller, Not. ad Aziz.* (f) *Varen. de divers. Rel. p.* 263.

monetam quandam consimili argumento inscribtam, Peregrinantibus amoleti loco Mechæ communicare solent. Extat in Rarithecio Præsidis Lamella ejusmodi rotunda ex ære cyprio, Imperialis magnitudine, cum ansulâ, cui inter alia hæc verba, lineâ primâ alterutrius faciei, incisa leguntur: قل هو الله احد *Dic, ille DEUS unicus*. Sed & in eodem inter alia numismata Turcica & Persica, duo offenduntur numi argentei, cum hâc epigraphe: لا اله الا الله *Non est DEUS, nisi DEUS. &c.* In quâ præterea notabile, quòd ا *initiale* in singulo numo ternis vicibus *virgula inferius dextrorsum ductâ* cusum sit, h.m. ľ Reliqua verba, quamvis de lectione eorundem adhuc dubitem, parum tamen aberit, quin sensum eundem habitura sint cum inscribtione numi aurei, quam è *Serenissimi Electoris Palatini Bibliothecâ* producit *Hottingerus* (g), hujus tenoris: لا اله الا الله وحده لا شريك له *Non est DEUS, nisi DEUS unicus, cui nullus socius.* Et hinc est, quòd observante *Golio in Lex. p. 35.* أَحَدٌ absolutè, cum & sine articulo positum, *unum & unicum* illum *DEUM* significet. Qui fini verò id faciant, inferiùs audiemus. Non reclamant Gingis-Chanici. Tatari enim unum DEUM credunt. *Canguista* (rectiùs Gingis Chan) inquit Boëmus (h), *oraculo quodam* (i) *primus ab iis rex creatus recepto imperio primùm omnium malorum dæmonum abrogavit cultum, edictoque præcepit, ut tota gens DEUM O. M. coleret.* Sic ante eum Muhammed, cum *Anno* æt. 44. ut Elmacinus (k) scribit, manifestâsset *vocationem, credere jussit homines in solum DEUM, eumque colere & adorare, destruxitque idolorum cultum.* Timur sanè in Epistola ad *A*bulabbasum, Præfectum Cæsariensem

(g) *dissert. de Num. Or. p. 169.* (h) *de morib. gent. II, 10. p. 103. seq.* (i) *Haytho Armen. c. 16. Conf. Venet. I, 52.* (k) *Hist. Sar. I, 1. p. 3 V. Hott. H. O. II, 3. p. 247.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

ensem (l) hac formula utitur: *Dicito: ô DEUS! Creator Cœli & Terræ;* eaque mentem suam satis superque aperit.

§. XVI. Ad *Paganismum* nunc accedimus. In eô etiam *Consensus* vestigia non desunt. Decantata sunt veterum Philosophorum de Divinæ essentiæ Unitate præconia (m). Rectè vim & naturam Deorum Antisthenes sustulit. In libro suo, qui *Physicus* inscribitur, *populares Deos multos, naturalem unum esse* dicit (n). Illud imprimis memorabile, in Ægypto idololatriæ matrice, Thebaidos tamen Incolas (o) *unum* censuisse *DEUM* Κνὴφ, ἀγέννητον ὄντα καὶ ἀθάνατον, *qui nec habeat originem, nec sit mortalis.* Eundem Κνοῦφιν *Strabo l.* 17. appellat, templumque ejus in Syene, Thebaidos parte locat. Sed de modernis soliciti, veteres mittimus. Mordui, populi extrema Russiæ colentes, circumciduntur, idola non adorant, neque etiam baptizantur, sed ductu naturæ vivunt. Profitentur nihilominus, se invocare DEUM omnium Conditorem, cui etiam primitias omnium rerum offerunt, ciborumque libamenta, antequam degustent, Cœlo projiciunt. (*V. Archont. Cosm. l.* 1. *p.* 365.) Sinensium Majoribus libri eorum testimonium perhibent, ipsos olim *summum & unicum coluisse DEUM* (p), quem *Cœli Regem* appellabant. Sola Literatorum Secta horum vestigiis insistit, quæ *unum* colit *Numen, Cœlorum Regem*, & Idola neque habet, neq; veneratur (q). Nullum tamen DEO templum exstruunt, nullos sacerdotes, nullos ritus habent. Imò asserunt, *solum huic Cœlorum Regi sacrificandi, ejusq; colendi munus ad Regem spectare.* Et si quis hæc sacrificia usurparet, pro perduelli & regii muneris occupatore plecteretur. (r) Quò referas, quòd

 ad

(l) *Id. H. E. c. XV. p.* 697. (m) *V. Slevogt. d. th. II, §.* 5. *seqq.* (n) *Cic.* 1. *de N. D.* (o) *Plutarch de Isid. & Osir.* (p) *Ursin.* von Unterscheid der Relig. *P. I, c.* 1. *ex Trigaut. Exped. Sin. l,* 10. (q) *Kircher. T.* 1. *Oed. Æg. s.* 5. *c.* 2. *p.* 398. (r) *Varen. de divers. Gent. Relig. p.* 271.

ad Nanking in Templo 2. sunt sedes, quarum alteri insidet Rex sacra facturus, altera ipsi Numini vacua relinquitur, (nulla tamen in eo imago aut statua,) quasi ad sacrificium accipiendum adesset. Extra Templum in ipsis areis multæ aræ erectæ visuntur è rubicante marmore, quæ Solem, Lunam, Sinicos montes ac flumina repræsentant. Dicunt Sinæ, hæc omnia collocata extra ipsum templum, ut non adorentur ab aliquo, scianturque ab eo condita, quem ipse Imperator in Templo veneratur. Ita auctor libri, cui titulus: *Artificia Hominum, miranda naturæ in Sina & Europa, c. 8. p. 167* Paulò aliter de hoc negocio *Nicol. Trigautius l.* 10. Hoc pacto enim loquentem eum introducunt *Kircherus* (s) & *Varenius*(t). *In hunc* (sacrificandi nempe), inquit, *finem Rex duo habet Templa sane magnifica in utraq; Regia, Nanquinensi & Pequinensi. Cœlo dicatum est unum, Terræ alterum. In his olim ipse per se litabat, nunc in ejus locum magistratus gravissimi successere, Cœloque & Terræ boves & oves magno numero mactant, aliosque multos ritus exhibent. Spiritibus cæteris montium, fluminum & 4. regionum hujus universi soli litant magistratus primarii regnique primores, nec privato cuiquam hic cultus licet.* Quæ quantũ à Scribtoris primo loco citati relatione abeant, nemo non videt; referre tamen placuit, ne quicquam, quod ad Sinensium noticiam pertinet, præteriisse videamur.

§. XVII. Quàm inexpiabili odio *Japones* erga Christianos flagrent, discere licet ex Epistolâ Japonii Consulis civitatis Nangasacque, nomine Jebia Siragemon donnes, ad Prætorem Belgicum in Indiâ, scribtâ A. 542. (leg. fortè A. 1642.) d. 28. Octobris, his verbis (u): *Subditis vestris in Japoniam mittendis, iisque qui hic remanebunt, mandabitis, ut benè sibi caveant ab exercitio cultuque externo religionis, sed ut Christianismum celent & tegant.* (i. e. nè in conspectu Japoniorum manibus complicatis preces ad Deum effundant vel ullo alio Christianæ religionis ritu uti attentent. (x)) *Verùm, si vestris imperabitis, ne quicquam rei Christianæ huc afferant,* (libros indicat, quibus auferendis Præfecti à Cæsare Japoni-

co

(s) *l. c p. 398. seq.* (t) *l. & p. c.* (u) *Varen. de Rel. Jap. c. 11 p. 209. seq.* (x) *ib. p. 208.*

eò sunt constituti, etsi ipsi Hollandi eos ultrò tradere teneantur:) *neque de fide Christianâ verba faciant, in grandem excrescetis truncum, multisq; erumpentibus germinibus in perpetuum florebitis.* Constat v. quòd inauditô persecutionis genere omne nomē Christianum in regno suo seculi hujus initiò radicitus exstirparint. Ita enim Varenio (y) percontanti, quis hodiè isthic locorum Christianismi status esset? Belgæ quidam A. 1649. ex Japoniâ Amstelodamum cum navibus Societatis delati retulerunt: *nullum jam ab aliquot annis deprehensum esse Christianum, neque sibi quenquam innotuisse, neque aliquos superesse existimandum esse.* Attamen hostes hi Christi infensissimi unum tantùm Deum adorant (z). De quibusdam ex XII. Sectis hoc ipsum intelligo Eandem (a) enim in religione cum Sinensibus à quibus eam (b) acceperunt, opinionem fovent. Jenxiorum Sectam Kircherus (c) producit, quæ de *Amida* suo, quem *Fombum* nominant, longè aliter sentit, quàm Xodoxiorum secta. Dicunt enim, *invisibilem esse substantiam, separatam ab omni elementorum compositione, ante omnem creaturam existentem, omnium fontem bonorum.* Hinc eum mysticè pingunt supra Nympheæ florem, verius loti, sedentem, ad reconditas hujus virtutes & perfectiones subobscurè insinuandas, quas & habitus, cui involutus cernitur, indicat. Facies ejus magno radiorum fulgore coruscat. Vide Iconem apud eundem (d), qui subjungit: *Prudentiores ergò lumine rationis figmenta de Amida, quem rudes eximium hominem fuisse asserunt, exemplo Ægyptiorum, qui Deum flori Loti insidentem, & Gnosticorum, qui Harpocratem sic pingebant, ad mysticos sensus detorquent.*

§. XVIII. In Indiâ porrò *Göenses* quidam (e) unum Deum Creatorem Cœli agnoscunt. Fortasse hi *Guzeratenses* (seu *Gujaratenses*) & *Benjanes* (Benjanen) sunt, è Regno

 Cam-

(y) *l. c. p.* 207. (z) *Ortel. p.* 102. (a) *Lind. p.* 1102. (b) *Kirch. T.* 1. *Oed. Æg. f.* 1. *c.* 3. *p.* 403. (c) *l. c. p.* 407. (d) *l. c. p.* 406. (e) *Archont. Cosm. l.* 1. *p.* 249.

Cambajæ oriundi, qui Goæ magno numero habitant (f). Horum enim secta quædam, quam *lonkah* vocant, idola non habet, sed unum DEUM (g) principium & finem omnium rerum agnoscit & colit. *Narsinga* (h) quoque populi unum credunt Deum, Creatorem & Dominum Universi. Idem in *Malabaris* regione *Calicuti* (i) obtinet. *Peguani*, cum Siaris omnis superstitionis in illis locis usitatæ auctores, Deum tamen cœli & terræ creatorem credunt, unamque divinam essentiam (k). Quin non solùm unum, verùm etiam summum DEUM credunt, cui nemo par sit potentiâ. Bramidarum enim illi, qui *Weistnouwes* vocantur, dicunt, quòd *Wistnou* aut *Peremaël* supremus Deus sit. Contrà *Seiriaës* dicti contendunt, quòd non Wistnou, sed *Eswa* summus sit (l). Ab horum sententiâ non abludunt *Persarum veterum reliquiæ*, per omnia Indiæ loca inprimis maritima, è Cambajâ dispersi. Eò enim A. Chr. 632. cum Rege suo, qui aliquoties ab Othmanno, Caliphæ Babylonii filio & Mahometi cognato victus erat, confugerant. Et quamvis per 1000. annos in Indiâ commorentur, avitam tamen religionem suam, singularem Ethnicismum servant. Unum autem credunt Deum, supremum, nullius indigentem auxilio (m). Quid ex Africâ novi? Monstrorum illa parens in *Æthiopiâ* nihilosecius *exteriore s. inferiore* (n) sessores quosdam gignit, qui unum venerantur Deum. Subditi Regis *Monomotapæ* (o) eum *Mozimo* vocant. *Madagascaris* indigenæ etiam, teste Mandelsl. II, 19. p. 174. Deum creatorem omnium, bonis præmia, malis pœnas destinantem credere feruntur.

§. XIX. *Americam* jam lustremus, & primùm quidem *Septentrionalem, seu Mexicanam*. Suo tempore Jaques Quartier

(f) *ib. p.* 245. (g) *Varen. de divers. Relig. p.* 292. *ex Texeira.* (h) *Archont. Cosm. l.* 1. *p.* 708. *Lind. p.* 1145. (i) *Lind. p.* 1143. (k) *Id. p.* 1140. (l) *Id. p.* 1109. (m) *Varen. de div. Rel. p.* 300. *seq.* (n) Roß *p.* 193. (o) *Lind. p.* 1149.

tier in *Novæ Franciæ circa flumen Canada* regione, invenit Barbaros, apud quos juxta S. Crucem hibernârat, qui unum Deum agnoſcebant, & ſub nomine *Cudruagny*, ſuperſtitioſè quamvis, timebant potiùs, quàm colebant (p). In maximè auſtrali *Virginiæ* parte, *Wingandocoa* indigenis (q), quam primus Waltherus Ralegh Eques Anglicus A. 1584. detexit (r), unius ſummi atque æterni DEI licet admodum levis cognitio, haud planè ex animis Ferorum deleta videtur. In regione *Cinaloa*, quæ eſt ultra Novam Hiſpaniam, unum, teſte Archontol. Coſmic. agnoſcebant rerum Creatorem. In *Meridionali* deinde Americâ *Peruanos* habemus obvios. *Cuscani* & in univerſum omnes Peruani fatebantur, unum eſſe creatorem rerum omnium, ſummumque moderatorem, quem ipſi *VIRACOCHAM* (s) appellabant & *Pachacamam* & *Pacaajam*, (ut *Jo. Lud. Gottfr. l. c.* exprimit: *Ger. Jo. Voſſius* (t) *Pachacamac, Pachumac* & *Pachajachacic* effert;) i. e. *Creatorem Cœli & Terræ*. Verbo autem commodo, quo nomen Dei exprimerent, (ſicuti & Braſilienſes (u), imò & Chinenſes, qui Deum *XANGTI*, h. e. *Imperatorem ſupremum* (x) nominant,) deſtituebantur: Sed nec hoc ipſo tempore DEUM dicere noverunt, niſi vocabulo uti velint Hiſpanico. Hoc de nihil non magnum, precioſum & admirabile dixerunt: unde & eum ſuâ linguâ *Vaſpu* (Voſſius l. c. *Uſapu*, i. e. *admirabilis*;) *ſtupendum* appellaverunt. Iſtum in modum Archontologia Coſmica de Viracocha tanquam ſupremo Peruanorum numine diſſerit, nomenque *Pachacuma* Terræ tribuit. Paulò aliter Nirembergius l. 8. H. N. c. 13. *Peruani*, inquit, *ſummum Deum cenſuere Pachacamac, quod ſonat animam mundi: hunc credebant univerſi factorem, & majori religione proſequebantur, ſed corde & opini-*

one

(p) *Laet. II, 12. p. 47.* (q) *Id. III, 24. p. 93.* (r) *Ibid. c. 22. p. 88.* (s) Roß *p. m. 20.* (t) *de Idol. I, 4. p. 27.* (u) *Lat. XV, 2.* (x) *Martin. Martin. l. 1. Sin. Hiſt. p. 2. Artiſ. & Mirand. Sin. c. 13. p. 267.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

enetenus: nullum templum illi. (Sic etiam Germani antiqui nec cohibere parietibus deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestinm arbitrabantur (y).) *Dicebant invisibilem sibi & ignotum, nomen non ausi pronunciare; si quando ad id compulsi, summâ reverentiâ, osculato sæpius aëre & terrâ, ferè tremuli id faciebant.* Quæ ex asse concordant cum Yncæ Garcilassi de la Vega, è regio Peruanorum stemate oriundi, adseveratione. Sic enim scribentem eum adducit Johannes de Laet. l. 10. c. 24. p. 426. *Peruani nonnullam veri Dei habuere cognitionem, quem appellabant PachaCamac, i. e. mundi animatorem, (à Pacha, mundus, & Camac paticipio vel derivativo verbi vel nominis Cama, i. e. anima vel animare:) & tantopere in animo venerabantur, ut ne nomen quidem hoc sine præfatione aut scrupulo usurparent. Unicumque ei Templum in valle Peruviæ consecrarant.*

§. 20. Stante hoc, confundi videtur Pacha Camac cum Viracochâ Incâ eorum VIII. Falso enim hunc principalem Peruvianorum Deum suspicati fuerunt Hispani, eodem Garcilasso (z) annotante. Erroris haut una occasio. Peruviani omnes res, in quibus Dæmon apparere, aut per quas verba facere consueverat, veluti sacras, in summâ habuerunt veneratione, quamvis non adorarent. Eas omnes vocabant *Huaca* vel *Guaca*. *Nomen* autem *Huaca significat omne, quicquid sacrum, excellens in suâ specie, monstrosum, aut pulcritudine, deformitatéve in rerum naturâ eminet.* (*id. ib.*) Unde, cum & *idolum* ita vocarent, facile credidere Hispani, Barbaros tot Deos colere, quot Huacas nominarent. Similem lapsum Garcilassus etiam in illis notat, qui montes & colles ab ipsis invocari, & *Apachitas* dici, prodidere. Feris namque solenne erat, quoties onus aliquod grave bajulantes, difficilem aut arduum collem aut montem ascendissent, in ipso vertice onus deponere, & ter oculis ad cœlum erectis & rursus demissis, dicere: *Apachecta, i. e. illi, qui facit,*

(y) *Tacit. de morib. Germ. c. 9. §. 3.* (z) *Lat. X, 12. p. 470.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

facit, ut levemus. q. d. *gratias agimus illi, qui nobis vires largitus est, ut hoc onus super tam editum locum tolleremus.* (familiare enim hisce gentibus, uno aut altero verbo integram sententiam exprimere.) Ad hunc modum plura alia numina ob linguæ ignorantiam ab Hispanis fuisse attributa, tum his, tum aliis barbaris, perquam verisimile est (a). Linguæ ergò & idiotismorum ignoratio Iberis imposuit. Fortè etiam civilis & religiosi cultus confusio concurrit. Certum est, barbaros Viracochæ Ingæ à Pizarro combusti, cineres diu in summâ veneratione tenuisse, donec prohiberentur ab Hispanis, qui reliquorum quoque Ingarum cadavera è medio sustulerunt (b). Dubium tamen, num divina veneratione prosecuti fuerint regum suorum exuvias. Sanè si Hesperii in eo aberrarunt, quòd Lunam, quam Peruviani, tanquam Solis conjugem tantùm venerabantur, Fulmenque & Fulgur aut Tonitru, meteora ipsis meritò formidabilia, populis istis, reclamante conterraneo eorum Garcilasso, pro numinibus obtruderunt, quis nobis vadimonium constituet, relatores in hoc negocio rem acu tetigisse? A partibus tamen eorum stare videtur cantilena, quam modo laudatus Garcilassus l. 2. c. 17. proponit, in quâ Pachacamac & Viracocha tanquam caussæ sociæ (nisi neglecto asyndeto, vi appositionis identitatem planè subjecti exsculpere malis,) conjunguntur. Carmen ita sonat (c):

Pacha camac	*Mundi factor,*	Sivè:	*DEUS, qui animat,*
Vira cocha	*Vira cocha*		*Magnusq́; Viracocha*
Cay hinapac	*Ad hoc munus*		*Ad hoc officium*
Chura sunqui	*Te sufficit*		*Te collocarunt,*
Cama sunqui.	*Ac præfecit.*		*Et te animarunt.*

Ut in eam propendeam sententiam, quam Vossius (n) & Kircherus passim de Ægyptiis fovent, Sapientiores Peruano-

(a) *ib. c. 1. p. 398.* (b) *Id. XI. 13. p. 471. ex Joseph. de Acosta.* (c) *ibid. c. 19.* (d) *de Idol. III. 100. p. 1275.*

rum ſaltem diſcrimen inter Viracocham & Pachacamac feciſſe, popellum verò eos vulgò confudiſſe. Et ut maximè Poetæ eorum, quos *Havarec* nominant, cum Philoſophis nomina hæc diſtinguentibus, ſenſiſſe videantur, nihil prohibet, quin cum vulgo loqui amarint. Fieri potuit, ut, quemadmodum Ægyptii Oſiridem & Iſidem ob prudentiam & res geſtas adulatoriè Solem & Lunam primùm nominaverunt, deinde poſt obitum, famâ eorum creſcente, eos in Solem & Lunam transformatos eſſe fabulati ſunt (e): ita quoque Peruviani Pachacamac & Viracocham, tanquam Soligenam, quod cognomen eſt omnium Regum Peruviæ, (*Inga* enim, quo vocabulo Rex apud eos dicitur, *Solis filium* ſignificat (f):) pro uno eodemq; reputarent, aut ſaltem in æquale poteſtatis faſtigium elevatum cenſerent. Judicium æquo in hiſce exercitato lectori committimus.

§. XXI. En! Luculam hucusque in denſisſimis ignorantiæ tenebris promicantem; poſthinc meras deprehendemus tenebras. Tantum enim congruentiæ, quantum Chriſto cum Beliale convenientiæ, ſperandum eſt. Silentii ſipario involvam controverſiam *Muhammedanorum* ſupra tactam *de Korano increato*. Inventus inter eos fuit *Babecus* quidam, qui Pſaphonis aves ſpernens, non ſecus ac olim *Caligula*, (g) divinam majeſtatem aſſerere ſibi cœpit. Et cùm *Domitianus* (h) aliquando formali epiſtolæ (hæc, autore Tullio, non erubeſcit:) quam procuratorum ſuorum nomine dictabat, præmiſiſſet: *Dominus & Deus noſter ſic fieri jubet*: Babecus ille majore arrogantiâ, omnique rubore depoſitô, obvio cuilibet dictitabat, *ſe Deum eſſe*. Creduli *Horrimæi Babecæi* ab eô nominabantur (i). Non disſimilis Muhammedanus iſte fuit *Marico* illi è plebe Bojorum, qui numinum ſimulatione Dei nomen ſibi indens, aſſertor Galliarum Romana arma provocare auſus eſt (k). Verecundior pluſculum fuit *Hakemus*, Ægypti Chalipha, ludorum gymnicorũ præcones (l) imitatus, qui cùm cæteris coronas impoſuerant victoribus, eorumque nomina magnâ voce pronunciarant, cum ipſi ante ludorum miſſionem coronâ donarentur, alium præconem adhibebant, ne ſuâ

voce

(e) *Kirch. T. 1. Oed. Æg. ſ. 3. c. 2. p. 172.* (f) *Niremb. H. N. VIII, 13.* (g) *Sueton. in vitâ ejus, c. 22,* (h) *Id. in vitâ ejus, c. 3.* (i) *Muhammed ben Iſaac p. 56. cit. Hott. H. E. c. IX, ſ. 2. p. 631.* (k) *Tacit. H. II, 61. 1. 2.* (l) *Cic. fam. I, 12.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

voce ipsi se victores prædicarent. Pari modo ipse quidem Deum sese nominare, erubescebat, patiebatur verò homo nullius religionis, ut stulti & plebeii quidā, quorū numerus ad 16000 assurgebat, obvio sibi acclamarent: *O Deus noster! ô vitæ necisq; arbiter* (m)! Auctor insaniæ fuit pseudoproph. quidā barbarꝰ in Ægyptū veniens, nomine *Muhammed fil. Ismaelis, cognomine Dararæus*(n) unde asseclis suis *Dararæorum* nomen hæsit,) Hakemū Dominū & benefactorem suū adulans. Dararæo posteà in curru Hakemi à Turca quodā tumultuosè interfecto, incrementum isti Sectæ dedit *Hamza*(o) quidam, *filius Ahmedis*, cognomine *Alhadis*, *Hamzæorum* antepilanus, Barbarus erat similiter pseudopropheta, qui prope Alkahiram, in loco quodam dicto Mesghidbiro considebat, Hakemo ejusdem curam gerente. Non soli ergò cives Ephesii insanivere, qui *Pixodorum* opilionem, ob marmor è Thaso ad Dianæ templum construendum allatum divinis honoribus coluerunt, Ευάγγελον pro Pixodoro nominarunt, eique per magistratus suos quot mensibus sacra fecerunt (p). sed hæc singulorum fuerit impietas. Tota prope *Persarum* natio (*Horise* i. e. *Hæreticos* Turcæ eos vocant (q),) *Alim* Abutalibi filium sacrilego ausu tantùm non in throno DEI collocat. Hoc enim Nobiliss. Olearius (r), cùm A. 1638. d. 27. Jan. Reschtæ, (quæ metropolis est Hircaniæ s. Kilan,) Parentalia ejus celebrare videret, suis auribus hausit elogium; *Aly choda nîst amma ne dur es choddai: i. e. Aly equidem non est DEUS ipse, verùm divinitati valdè propinquus est.* Quin in proverbium inter eos abiit: علي از خدا نميشناسم دورا از خدا نميبينم *Ali pro Deo non agnosco; sed non procul eum à Deo esse scio.* Et aliud jactatur: *Qui non est instar pulveris ante fores ejus* (Ali,) *licet vel angelus fuerit, pulvis ejus operit caput* (s). Si meo arbitratu uti liceret, eum cum Ommiadis potiùs ابو تراب *Patrem terrenum* vel *pulvereum* nominandum esse censerem.

§. XX. Fortuito magis consensu, quàm communi con-

(m) *Elmac. Hist. Sar.* III, 6 *p. 329. Hott. H. E. c. XI. p. 429.* (n) *Elmac. l. c. p. 328. Hott. H. E. c.* VII. *p. 359.* (o) *Elmac. l. c. p. 329. Hott. H. O. II, 7. p. 574. seq. ed. 2.* (p) *P. Crinit. de honest. Discipl. II, 8. p. m. 109.* (q) *Fr. Bartonus not. ad Septem Castr. c. 20. cit. Hott. H. O. II, 6.* (r) *Itin. Pers. VI, 4. p. 701.* (s) *VVarner. Prov. Pers. p. 5. cit. Hott. H. O. II, 7. p. 594. ed. 2.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

consilio *Gentes* conspiraverunt, ea quæ condita sunt, pro conditore agnoscere. Nullam ferè creaturarum invenies, cui superstitio divinitatem non affinxerit. Extra Physices sphæram progressa mortalitas Substantias immateriales, *Dæmones* scilicet, honoris divini cupidissimos, religiosè coluit, hodieque colit. Duplici id fit nomine. Alii Satanam ut *bonorum largitorem*, alii ut *malorum averruncum* venerantur. Valetudinem à *Colzkis* (Kobold Germanis,) humanâ specie apparentibus, *Moscovitæ* quidam recuperari credunt (t). Nulla quidem *Mexicanos* cura tenet vitæ alterius: Diabolo tamen supplicant pro bonis temporalibus, tùm etiam ne noceat saltem. *Tapuiæ* sive *Tapuiones*, *Brasiliæ gens inter Siaram & Maranthon* sita, ἀνθρωποφάγος, duplex agnoscit numen. Bonum alterum credit, quod sponte facit benè, affligit neminem, nullo propterea honore prosequendum; Malum alterum, quod iracundum sit, cultusque sui neglecti vindex, unicè veneratur. Ritus hujus gentis, quibus Dæmonem consulunt, ex relatu *Christophori Arcisſevvsky Nobilis Poloni*, *Belgarum Ducis bellici, vide apud Ger. Jo. Vossium l. 2. de Idololatriâ, app. p. 2 seqq. Chinenses* (x) apprimè norunt, malum eum esse Spiritum & damnatum: ne tamen vitæ fortunisve eorum detrimenti quid afferat, sacrificiis eum placant. Bataviæ degentes ei noctu cereos accendunt rubri flavique coloris, cibumque & potum offerunt, quem tamen insequenti die, suis usibus destinandum tollunt. Eadem illum, quâ Europæi, formâ depingunt. Joannes Jacobus Saar/Noricus(y), argillaceam ejus Bataviæ vidit effigiem. *Longitudo erat spithamæ unius & dimidiæ. Facies nigra, oculi grandes, rubicundis inclusi circulis. Nasum psittaci dixisses. Cornua insuper variorum colorum addita. JOSIN vocant.* Sed ellum ad prototypum coriaceum, cujusmodi *in Antiquario Gerhardinô* asservatur (ut quem Dn. Præses à Dn. Joh Schelhammero, Ecclesiaste Lutherano apud Hagenses in Hollandiâ, superiori tempore dono accepit,) ad unguem expressum!

JOSIN.

(t) *Lind. p.* 1010. (u) *Acosta Rer. Americ. V*, 25. (x) *Marc. Henning. II*, 2. *p.* 75. *Ortel. p* 101. *ex Bernardino Scalanto.* (y) *Itin. p.* 23.

(z) Kirch. T. I. Oed. Aeg. [illegible]
p. 401. (a) Trigaut. l, 8. (b) c. 1. p.
23. seq. 28. seq. (c) de Iapon, 6. 2. p. 14.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Diese Figur kömt zu Ende des Buchstaben K und wird allhier geheftet



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

p. 75. Ortel. p 101. ex *Bernardino Scalanto*. (y) Itin. p. 23.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Alia quoque positurâ eundem ex iisdem Scriniis ad archetypum delineatum damus, isthâc facie.


PENGORT.

* * *

Ubi vides, μορμολυκεῖον sedentis apparatu manubrii vicem tenere in gladio sive sicâ, quam PENGORT nominant. Siquidem hunc Tutanum suum in acie credunt: navigaturi itidem hoc Idolum in puppi collocant. Adde, quod inter alia metropolitanæ Nenchiensis templa numeretur etiam quoddam, Dæmonibus (z) & spiritibus dicatum. Imò eos in statuas compingunt, & responsa ab iis exposcunt, quæ etiam infantum, quin & brutorum (a) vocibus edunt.

§. XXIII. Utrum *Japones* Diabolum adorent, *Bernardus Varenius* Medicinæ *D. in libello de Religione Japonum* (b) disquirit. Sunt, qui scribant, Reges eorum in prælium ituros inferorum principi magnam pecuniæ vim vovere; plebejos in periculis constitutos liberationem ab eo expetere; fana eidem exstrui luculenta. Ipse (c) ex Maffæo re-

 fert,

(z) *Kirch. T. 1. Oed. Æg. s. 5. c. 2. p.* 401. (a) *Trigaut. l. 8.* (b) *c. 1. p. 23. seq. 28. seq.* (c) *de Japon. 6. 2. p. 14.*

fert, quòd Cacodæmon ſplendidâ nube circumfuſus in cacumine montis cujusdam Vulcanii ſeſe oſtendat certis aliquibus hominibus, poſtquam hi voti cauſsâ diu ſe maceraverint. De *Jamambuxis* h. e. *militibus convallium* Villela p. 47. memorat, quod Dæmonem colant, eoque familiariſſimè utantur. Hi ad famam ſanctimoniæ colligendam ſeſe graviter puniunt, ſtant vigilant, cibo parciſſimo utuntur: altero denique vel tertio menſe, ubi ſatisfactum Diabolus pronunciaverit, nonnullis amentiæ Sociis unà ſecum adhibitis, emendicatâ à popularibus ſtipe, mare petunt, naviculamque conſcendunt, cujus ſentinam ita perforant, ut acceptâ paulatim aqua mergatur. De hâc relatione quid ſentiat, ſtatim ſubdit Varenius his verbis: *Sed hæc malè à Villelâ narrari, nemo non videt. Quis enim credat, homines tàm fatuos vivere, ut Diaboli cauſsâ talia perpetiantur? Itaq; ipſi procul dubio ad Deorum ſibi comparandam gratiam talia ferunt, in quo etſi errent, tamen dici non poteſt, quòd ipſi ſcientes Diabolum colant.* Divinatores eos deſcribit Frojus p. 191. Res vel amiſſas vel furto ſublatas ita comperiunt. Statuunt ante ſe puerum: hunc dæmon certis evocatus carminibus occupat, ex eo deinde puero, quod avent cognoſcere, ſciſcitantur. Idem in ep. Ind. p. 203 narrat, in aliquibus magno cultu adorari ſtatuam Cacodæmonis, facie magis etiam, quàm apud nos pingitur, fœdâ & horribili. Quâ fide, Varenii ἐπικρίσεις annexa arguit. Ita enim hic: *Quòd Japonii Diabolum non adorent, ex eo manifeſtum eſt, quòd ad inferni cruciatus effugiendos omnia, quæ poſſunt, præſtant. Nec verò id eorum narrationem confirmat, quòd in Templis Japonenſium reperiantur Diaboli effigies horrendæ, & multò, quàm noſtræ picturæ referunt, fœdiores. Id enim faciunt ad hominum animos à flagitiis deterrendos. Namq; in ep. 179. legimus: Concionatores Bonzios inter dicendum atrociſſimos inferorum cruciatus*

in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

in tabulâ depictos ostentare, horrendâq; illâ specie phanum cùm populi universi, tùm verò mulierum plangore ac lamentatione compleri. P. 180. *Almeida scribit, ad alicujus phani januam conspici duos janitores (divos,) qui calcent singuli pede Dæmonem. Et p.* 208. *Frojus refert: Aliud etiam fanum in reditu vidimus, inferorum regi dicatum, cujus præcelsum horrifico truciq; aspectu simulacrum regio sceptro insignitum, duobus hinc inde ingentis item staturæ dæmonibus cingitur, quorum alter calamo describit hominum noxas, alter descriptas in tabula recitat: Parietes picti varias inferorum ostentant pœnas, quibus plurimi sexûs utriusque mortales dæmonum ministerio cruciantur. Celebratur autem ædes hæc, augeturq; pecuniis ferè assiduè: nunquam enim desunt, qui ad Regis effigiem timore perculsi, ea ab sese tormenta atq; supplicia deprecentur. Hæc sanè aliquem cultum Dæmonis innuunt: at in capitis hujus initio ex iisdem Jesuitis audivimus, quòd Bonzii auditores tantùm ad Deos & Xacam atq; Amidam, invocandos adhortentur, non verò ad Diabolum invocandum. Quanquam*, subjungit tandem, *ratio non desit, cur id faciant, nim. quia ignorant, Deum habere in Dæmones potestatem, sed hosce æquali cum Diis esse putant potestate.* Hactenus Varenius. Experientia litem facillimè dirimit: si tamen conjecturis locus relinquitur a δεισιδαιμονία istâ plebeculam vix absolverim. Suspicionem auget, quòd Chinensium dæmonolatrarum (modò vera sint quæ de his narrantur) instituta in religione lymphatici adorent. In Fano certè, Tutelaribus urbium sacro, ubi Præfectus magistratum in Sinâ (d) iniens jurare tenetur, horrendum idolum Diaboli cornuti vestibulum utrinque occupat. Faucibus apertis, unguibusque Gryphum ungulas referentibus, minatur ingredientibus, tanquam è vestigio corripiendis & dilaniandis. Num pejeraturis horror tantummodò incutiatur, apud scribtorem non reperio.

(d) *Neuhof. de Regno Sina, c.9. p.318.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

§. XXIV. Non leve robur opinioni nostræ conciliant, quæ idem Varenius l. c. p. 30. continua serie reddit. *In India quoque*, scribit, *quasdam Gentes hâc ductas ratione* (quod sc. Dæmones æquali sint cum Diis potestate,) *id facere* (Diabolos colere) *accepi. Sed tamen*, pergit, *in describtione Belgica Siamis & Pegu legimus, quod Sacerdotes ethnici acriter & sæpè in vulgus hanc ob caussam invehantur, & Dæmonolatriam hanc injustam esse proclament. Præterea Nautæ non rarò decipiuntur, dum aspicientes statuas vel pictos Deos in India, existimant, Dæmonum esse effigies. Indi enim, ut inquit Xaverius, Deum nigrum & pingunt, & ita esse putant, quia ipsi nigri sunt.* (sicut Abyssini Æthiopes candidum (e) contrà pingunt Diabolum, ne gentilitio suo colori injuriam faciant. Verum sc. verbum Turcarum est: *Herkhischic gendi hui, adetschi hosch gelur; Suum cuiq; pulcrum:*) *Has nautæ & imperiti videntes, opinantur Dæmonum esse statuas. Tursellinus in vitâ Xaverii p. 149. Ipsi* (Brachmanes) *utpote naturâ subnigri, suo indulgentes colori, nigrumq; Deum esse rati, Deorum simulacra identidem perungunt oleo, ut non atra modô, sed etiam tetra sint, horrendaq;. Dæmones ipsos non eorum signa videre Te credas.* Hæc ille, non improbabiliter. De *Indis* aliorum Auctorum sequentes sunt relationes. *Narsingæ* (f) populi Diabolum omnis mali auctorem credunt quidem: verùm ne malè eos mulctet, majori illum cultu, quàm omnium rerum creatorem prosequuntur. Magnifica huic exstruunt templa, in quibus quidem perpetuò vivunt, qui idola colunt, tùm verò fœminæ puellæque corpore quæstum facientes. Succlamant *Calecutenses*, apud quos Genius malus, (*DEUMO* ipsi nomen,) *sedet in Throno igneo, tricoroniger, cornibus quatuor horrendus, totidem dentibus è rictu immani, instar verri prominentibus, ma-*

nus

(e) *Ursin. Acerr. Philol. p. m. 244.* (f) *Arch. Cosm. l. 2. p. 709. Lind. p. 1145. Mandelsl. l. 3. p. 195.*

nus pedesque galli gallinacei unguibus conspicuus. Iconem ex describtione Lud. Vartomanni (g) testis oculati, exhibet Sebast. Münsterus l.5. Cosmogr. p. 1173. *Conferantur Ger. Jo. Voss. l. 1. de Idol. c. 8. p. 57. Hermann. Fabronius Mosemanus l. 2. c. 4. Orbis antiqui, p. 593.* Roß *p. 164.* Ipse Rex Calic.ti in palatio suo domum orationum habet, figuris (h) Diabolorum repletam, qui triste sanè & horrendum sui præbent spectaculum. Bramines pariter *Peguani* (i) unà cum supremo Numine multisque Diis minorum gentium, infernalis quoq; Vejovis exercitum variis modis effigiatum venerantur, non ignari, totum eum cladi hominum excubare. Fortuna offensi Plutoni multò plura offerunt placamina, quàm Diis suis putaticiis. Præterea cottidiè (k) cum corbibus oryzâ plenis cibant, ne per diem istum periclitentur. Ægroti altaria ipsi exstruunt, floribus, escis & cantilenis eum pacant. De *Siamensibus* toties laudatus Varenius (l) inficias ire non potest, quòd timore metuque impulsi (contradicentibus licet & impugnantibus multis Religiosis,) aperte venerentur Diabolos inferni dominos, non minùs, ac Deos bonorum autores. Ideoque morbis correpti, vel aliis adversitatibus pressi offerunt Diabolis, quos malorum inventores ipsimet arbitrantur, fructus & animalia, idque cum miris solennibus ritibus, musica, aliisque cerimoniis. *Benjanes* sub *Mogolis* imperio (m) non diffitentur, DEUM esse mundi creatorem & conservatorem; Diabolum tamen variis modis terribilique specie ex auro argento aliove metallo, ligno, ebore & lapide figuratum, in delubris suis summo cum timore & sacrificiòrum pompa deprecantur. Superstitionis origo, quòd ipsum Dei ministrum opinentur à Deo

(g) *l. 5. Navig. c. 2.* (h) *Lind. p. 1143.* (i) *Mandelsl. l. 3. p. 199. seq. Lind. p. 1111.* (k) Roß *p. 159.* (l) *de relig. Siamens. p. 223. ex Jod. Schouten.* (m) *Mandelslo I, 37. p. 111.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

puniendis flagitiis præfectum. Effigiem Mandelslo l. c. eandem ferè cum Calicutensi producit. Discriminis hoc intervenit quod *mentum latâ barbâ luxuriat, & duob. dentibus promicantibus deturpetur. Abdomen insuper facie quoque, duobus cornibus insigni, linguaque ex immani rictu propendente deforme est, pedes loco unguium pegrandibus ornantur ungulis quæ Struthionis haut absimiles dicas. A tergo caudâ bovinâ instructus est.* De hoc simulacro quid sentiant, ipsi aperiunt Deum equidem illud non esse, ultrò confitentur: ajunt tamen se sub isto intercessorem quendam apud Deum colere, & placare quendam ne ipsis noceat. *Ceilonenses* (n) itidem morbo impliciti ad Dæmonem confugiunt. *JACKA idolo formaceo* (o) *nomen est. Staturam viri æquat. Vultu nigro & horribili, larvato quasi, interdum cornuto fingitur. Sedes ejus in angulo quodam est, aut sub tectum etiam reclinatur.* Nec melior est *Philippinarum insularum*(g) conditio, qui horrendam ejus adorant imaginem. Alia Indiæ orientalis insula est, quæ *Capul* (q) dicitur. Ibi etiam Satanas suos adoratores habet & collocutores. De *Amboynæ* (r) incolis perhibent, singulos vicos, singulas familias singulos Dæmones proprio nomine discretos colere. Et quamvis ipsos lateat quisnam sit Diabolus, aut unde originem trahat, Dominum tamen ducunt esse potentem qui ipsis malorum myriades possit immittere. Hinc etiam in ærumnis suis victimis eum placare instituunt. Quin Archistrategum quendam copiarum infernalium, nomine *LENTHILAM*, i. e. *magnum Aerem*, stupent, eique in ædibus suis locum certum consecrant, & lucernas adolent. Circa Annum Chr. 16 8. ut *Nobilissimo Oleacio* retulere quidam, plerique sacro lavacro tincti sunt, saltem ut candido pileo,

qui

(n) Roß *p. 174.* (o) *Jo. Jac. Saar p. 55.* (p) Roß *p. 272* (q) *Huls. P. 6. Navig. p 34. seq* (r) *Olear. ad Mandelslo l. 3. p. 230. ex Sebast. Dankert. Nav. Holl. XV. 1627.*

qui habitus ipsis in deliciis est, donarentur. Quod *Africani* solenniter certisque cerimoniis inferorum Principem colant, *Johannes de Laet* (s) autor est. Inter alios regno *Congi* versus septentrionem *vicini*(t) anthropophagi Alastora dirissimum religiosâ veneratione prosequuntur, & cùm victimas ei cædunt, toto die, à diluculo ad crepusculum usque, eo in cultu perseverant.

§. XXV. In *Americâ Canadenses* ante Gallorum adventum Diabolum adorabant, quæ impietas hodieque in quibusdam locis durat, quamvis iratus quandoque cineres in faciem ipsis ingerat: quod vindictæ genus olim Bonifacius P. R. erga Prochetum Genuensem Pontificem Gebellinum (u) exercuisse legitur. De *Attigonautanis* populis ibidem quibusdam asseritur, quod Dæmonem sub *OQUI* (x) nomine venerentur, subdubitanter tamen, cùm omnia, quæ communem rationem excedunt, aut, quæ admirantur, Divinatores itidem suos sic appellent. *Virginienses in orâ Montaines, sive Novo Belgio* (y) Cacodæmoni, quem *MENUTTO* vel *MENETTO* vocant, sacra faciunt. Reliquis Virginiensibus, qui eum magis timent quàm verentur, *OKE* (z) vel ESTE (a) dicitur. *Floridanis* (b) etsi nulla certa religio, neque ferè ullum certum numen, quibusdam tamen in locis ἀσπονδος humani generis hostis in veneratione est, qui quando apparet & de siti conqueritur, isti restinguendæ sanguis humanus effunditur. Imitantur eos finitimi (c) occidentem versus siti. In singulis penè *Novæ Mexicanæ* (d) ædibus sacraria Dæmonis cultui dicata erant, & quemadmodum Christiani secus vias cruces fixas habent; ita hi capellulas quasdam pictas atque ornatas, in quibus dæmonem pernoctare, & genio indulgere

(s) *l. 3. c. 11. p. 75.* (t) Roß *p. 196.* (u) *P. Crinit. VII. de H. D. 13. p. m. 243. seq.* (x) *Laet. II 13 p.* 50. (y) *Id. III, 11. p. 75.* (z) *Id. III, 18. p.* 84. Roß *p. 199.* (a) *Lind. p.* 1120. (b) Roß *p. 201.* (c) *Id. p. 202.* (d) *Laet. VI, 22. p. 311.*

gere credunt, quum ab uno pago ad alterum movet. De *Vizlipuzli* (d) effigie in urbe Mexico, à Duce Mexi denominatâ, ejusque significatione inferiùs dispiciemus. *Dæmonium* illud fuisse, Acosta docuit, *cujus ductu & auspiciis ex Aztlan & Tuculhuacan, septima Hispaniæ Novæ natio Mexicanam à se dictam Terram occupavit. Præferebatur idolum in arcâ junceâ. Ordinem itineris, in expeditione item, leges atq; ritus sacrificiorum exponebat. Ubi quiescendum erat, ante omnia in medio castrorum super aram, Christianorum altaribus simillimam in tugurio illud collocabant.* En κακοζηλίαν Dæmonis, qui eductionem Israëlitarũ ex Ægypto & introductionẽ in terrã Canaan æquare superbè affectabat! En quot machinis & technis Divinitatẽ in hoc mundo (f sibi arrogare molitur! De *Peruanis* ita Joh Lud. Gotofred. in Archontol. Cosmicâ: Cùm semel cœpissent Peruani vereri ac metuere Diabolum, quod scirent, ipsum posse multum inferre damni, formam ejus repræsentabant specie, quàm poterant, maximè terribili. Et sane solebat Dæmon per statuas illas responsa dare & sacerdotibꝰ colloqui. In Peruviæ valle *Xauxa* non pauci sunt, teste laëto (g) qui antiquas gentilitatis suæ superstitiones retinent; quiq; Dæmonem adorant, quem vocant *SUPAY*, non quòd malum esse diffiteantur, sed ne ipsis malè faciat. *Brasilienses* Spiritus malignos horrent (h) impenseque metuunt, ita ut interdum imaginario & vano illorum terrore subitò exanimentur. Vocant eos *Curupira*, *Taguain*, *Pigtangua*, *Machera*, *Aukanga*. Nullis vulgò ceremoniis, nullis idolis eos venerantur. Nonnunquam tamen quidam (i) stipitibus solo defixis & muneribus quibusdam juxta positis illos placare nituntur. Ubi insuper observandum, minus frequenter hosce Genios visibili specie inter illos comparere, licet multi secus prodiderint. Qui habitabant circa *S. Crucis in monte* oppidum, quanquam ne ipse

quidem

(e) *Id. V. 12. p. 244.* (f) *2. Cor. IV, 4.* (g) *X, 28. p. 444.* (h) *C. Barlæus de Reb. gest. sub Mauritio, p. 22.* (i) *Laet. XV, 2. p. 544.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

quidem idola colerent, Diabolum tamen apertè adorabant, non ut aliquid boni ab eo obtinerent, sed ut mala futura evitarent. Loquebantur & conversabantur cum eo, offerentes ei res diversas, libantes pocula in ejus honorem, adhibitisque ceremoniis bibentes, nec audebant fructus terræ gustare, nisi priùs dæmonio primitias obtulissent. Nunquam tamen illum exquisitiùs colebant, quàm in venatione & piscatione, quibus artibus illi potissimùm ducebant vitam. At *Varræi* vicini eorum, exeuntes certo quodam anni tempore prorsus è potestate mentis, currebant lymfatici in sylvas & solitudines, inconditis salientes gestibus, magnisque ululatibus invocantes quendam *CENDIRUM*, de quo miras narrabant absurditates. Hoc nomen semper ore ferentes per præcipitia & invios saltus currebant; incedebant super prunas candentes, & calcabant serpentes, sine ullâ tamen noxâ. Iidem *VII. Dæmonum genera* noverant, quos omnes venerabantur, ne ab iis verberibus vel ipsâ morte afficerentur, supra modum auguriis dediti. V. Archontol. Cosmic. p. 274 seq. *Guajanæ circa Essequeben fluvium* populi (k) Cacodæmonem tantummodò venerantur, non quod eum ignorent malum esse, sed ne illis malum duat.

§. XXVI. E continenti progressus mille fraudum artifex divisas quoque fretis inque mari protuberantes Terras occupavit. *Hispaniolæ* Incolæ (l) Dæmones appellabant *Zemes*, censebantque eos esse internuncios ejus, quem unicum fine carentem, omnipotentem, invisibilemque esse fatentur. Noctu apparentes hos Lemures variâ efformabant imagine. Ex gossampio intexto stipato interius, videas simulacra Sinarum Chamis (m) simillima: Infantulos dæmones minora referunt; ea cum hostibus manus collaturi frontibus alligant.

M Ab

(k) *Id. XVII. 18. p. 17.* (l) P. *Martyr dec. 1. l. 9. p. 103.* (m) *Kirch. T. 1. Oed. Æg. s. 5. c. 5. p. 417.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Ab his pluvias, si pluviæ desint: soles, si sole indigeant, se impetrare arbitrantur. Unde quisque regulus suum habet Zemen, quem colat. Quidam ligneos (n) fabricant, nocturnis inter arbores umbris moniti. Alii responsa inter rupes nacti, marmoreos. Inter ages (edulii genus,) reperti, in radicibus coluntur. Curam hos Zemes habere, ut panis ille coalescat, arbitrantur. Ædes ipsorum ingrediuntur reguli, deque belli eventu, de annonâ & incolumitate λοξίας istos consulunt. Zemen habuit Guamaretus (o) vinctum, qui è supremo domûs culmine sæpè, vel congressûs aut cibi gratiâ, vel ut sese absconderet, ruptis vinculis descendit, perque aliquot dies interdum latuit iratus, eò quòd in ipsius cultu & sacris Rex defecisset. Ferunt, & ab hostibus victum fuisse in acie Guamaretum, vicumque ipsius ac regiam ferro ignique universam vastatam: *Corochotum* autem (quod nomen erat Zemi,) incensâ domo exiliisse vinculis, & ad stadium usque deindè fuisse repertum. Idem regulus Zemen habuit alium, *Epileguanitam* nomine, ligneum, quadrupedem; qui sæpè ad silvas, è loco, ubi colebatur, fertur profugisse. Hunc, quoties discessisse sentiebant, piis facto agmine supplicationibus solicitè quæritabant: inventum religiosè ad dicatum ei sacellum humeris reportabant. Ast Christianis ad insulam euntibus aufugisse illum, & nusquam fuisse ultra repertum ajebant, patriæ perniciem ob id augurantes. *Marmoreum* colebant *Zemen* alium, *sub fœmineo sexu, cui duo masculi pro ministris adstabant.* Horum alter, fœminæ jussu, præconis officio fungebatur ad reliquos Zemes, qui auxilio adessent fœminæ imperio, ad ventos pluviasque ac nubes concitandas. Alter autem dicebatur ex fœminæ mandato aquas in vallibus ex altis montibus collabentes congregare, ut inde, facto impetu, more torrentis solutæ vastarent

(n) *P. Martyr. l. c. p. 109.* (o) *id. ibid. p. 111.*

ſtarent agros, ſi ſimulacro debitos optatosque honores indigenæ non præſtitiſſent. Eosdem colebant *Cubæ* (p) incolæ, & ſuos quisque Zemes ad prælium in auxilium portabant. *Caudati* (q) ſunt, *hiatu vaſto dentati*, *cornuti*. Magna vecordiæ immanitas fuit, quòd *Dicæarchus* quidam claſſis Philippi præfectus ut in portu naves conſtituit, *duas* excitavit *aras*, *Impietatis* alteram, *alteram iniquitatis* (r), & ſuper iis rem divinam fecit, ac quaſi Deos eſt iſtas veneratus. Verùm enimverò omnes iniquitatum hiſtorias ſuperat, ultra omnes Impietatis fabulas eſt, & humanæ ſapientiæ fidem, Impietatis omnis ſatori & ſtatori aras exſtruere, victimas cædere, thura adolere, perlitare.

§. XXVII. Hâc ratione extra Phyſices ſphæram vagata fuit defamatiſſima Gentilium ſuperſtitio. Intra eandem ſeſe demittens, integrum Univerſitatis corpus in Pantheon quoddam transformavit. Nihil Orbe iſthoc pulcrius, nihil molitore ejus præſtantius. *Æternum ſimulacrum æterni alicujus, hunc, quem cernimus, mundum* Tullius (s) conjicit. Pulcerrimum opus, omnique ex parte abſolutiſſimum, indiſſolubilium atque ſolubilium copulatione connexum. Singulorum admirabilitas architecti ſpirans excellentiam, in divinitatis æſtimationem incurrit. Ultimus & à domiciliis noſtris altiſſimus eſt omnia cingens & coërcens *Cœli* complexus. Ab extremâ orâ & mundi determinatione error non abſtinuit. Immenſum Æthera ſummum DEUM ex Africani (t) ſermone percipimus. Animus loquentis à ſermone alienus. Primam ipſum cauſſam & Deum illum omnipotentiſſimum non (u) exiſtimabat. Globum cœleſtem animæ nôrat fabricam, animam ex mente proceſſiſſe, men-

(p) *Id. dec. 2. l. 6. p. 171.* (q) *ib. p. 173.* (r) *Polyb. Hiſt. XVII, 35. p. 705.* (s) *l. de univerſ. ex Plat. Timæo.* (t) *Cic. in Somn. Scip.* (u) *Macrob. l. 1, in Somn. Scip. c. 17. p. m. 58.*

tem ex Deo, qui verè ſummus eſt, procreatam eſſe. Summum ergò dicebat, ad cæterorum, qui ſubjecti ſunt ordinem: arcet quippe & continet cæteros. Deum dum vocabat, immortale ipſum animal ac divinum intelligebat, plenum inclytæ ex illâ puriſſima mente rationis, quod virtutes omnes, quæ illam primæ omnipotentiam ſummitatis ſequuntur, aut ipſe faceret, aut ipſe contineret. Jovem veterum. Ex animi ſententiâ maximum Deorum, aut ſaltem poſt Solem præcipuum, COELUM profitentur *Chinenſes*. *Guant* illud ſuâ lingua nominant, & primò literarum ſuarum charactere (x) hic appicto depingunt. *Increatum* præterea & *absque principio*, *corporis expers*, *Spiritum* (y) eſſe opinantur. Nec ſoli delirant. Ex *Japonibus* (z) quosdam ſubſcribtores inveniunt. *Terræ Jeſſo* (a) vel *Seſſo*, provinciæ Japonicæ Ochio à ſeptentrione adjacentis beluina gens ſacra nulla habet, Cœlum duntaxat venerari ſolita eſt. O dementiam! Succenſemus Philoſophis veteribus, quòd ſapphirinum illum aeris colorem loci ætherii eſſe magis, quàm videri (b) arbitrati fuerint. Non ferimus, quòd expan um ſuperius ſub oculorum aſpectum cadere (c) contenderint. Ridemus μετεωροφένακας, ut Ariſtophanis (d) verbo utar, qui iter à Cœlo ſtellifero, ad Empyréum, (ſi quod datur (e),) vix octo millibus annorum (f) confici poſſe, calculo ſubduxerunt. In animum verò nobis inducemus, Firmamentum eſſe exſors materiæ, ſponte ſuâ enatum eſſe? Non libet equidem, nec licet in præſenti negocio αἰθερεμβατεῖν & cum Heſiodo (g) Cœlum à terrâ 9. dierum itinere diſtermi-

(x) *Ortel. p. 101. ex Bernardino Scalanto. M. Henning. III, 13. p. 200.* (y) *Henning. II, 2. p. 73. ſeq.* (z) *Lind. p.* 1137 (a) *Varen. de* Rep. *Jap. c. 1. p. 7. ex ep. Lud. Froji Jeſuitæ, l. 4. Maffæi.* (b) *Scalig. Exerc. 66. ſ. 1. p. m. 249.* (c) *Id. exerc. 61. ſ. 3. p. m. 229.* (d) *in Nub. p. m. 65.* (e) *Thom. P. 1. q. 66. art. 33. Biel. 2. ſent. diſt. 14. q. un. art. 3.* (f) *Cornel. à Lap. p. 21.* (g) *Theog. v. 721. ſeq.*

minare. Temerarius est Beidavi, qui præeuntibus Judæis (h) ad Alkoranum commentatur: ما بين (.) السما والارض مسيرة خمسمائة سنة *Spacium, quod cœlum est inter & terram, itinere absolvitur* 500. *annorum.* Certior Riccioli hypothesis, qui 200000. S. T. aliorumque Mathematicorum (i), qui plus minus determinant. Sed absit Cœlum à nobis decies millies millenis millibus, quo intervallo Paradisum à suâ terra removent Japones (k), aut, quod Copernicani supponunt, infinitis parasangis: nunquam tamen à nobis ratio adeò aberit, ut Sinensium rationes approbemus. Secuti scilicet isti μετεωροσοφιςαὶ indulgent sibi Hispanorum illud: *De luengas vias, luengas mentiras.* Et quidni? Suffeni hi crepant, *se duos* (l) *habere oculos; Europæos unum; & quod hominum est reliquum, cœcutire.* Verùm enim vero æquè cum ratione insaniunt, ac populares eorum Cochinchinenses, quibus persuasum est, *Mundum magnum quoddam animal* (m) *esse sive hominem; cujus caput Cœlum, oculi astra, pili arbores, plantæ, herbæ, ossa metalla sint.* (Hebræos, qui cum Platone & Aristotele (n) Cœlum animatum (o) statuunt, non attingam.) Subtilissima sanè Ætheris substantia adeo rara est, ut transmittat quidem radios: nullos autem emittat, nullos reflectat. Oculorum illa obtutum effugit: numquid verò propterea corporis naturam abjicit? An tu liquorem, arte Chymicâ præparatum, adeoque attenuatum, ut vel vitrum penitret, & in fumum & nebulas abeat, spiritum propriè dictum autumaveris? Nondum proinde Spiritus efficietur Aura ætheria,

 non-

(h) *Hott. Hex. p.m.79.* (i) *Vid. Dn. VVeigel. ad Plin. II, 1. not. 2.* (k) *Voss. de Idol. l, 25. p. 185* (l) *Lans. Consult. p.4* (m) *Kirch Oed. Æg. T. 1. f. 5. c. 3. p. 411. seq.* (n) *Conf. Dionys. Carthusian. enarrat. in Deut. XVII. f. 373. D. Volaterran. l. 38. f. 403. b.* (o) *Maimon. More Nevoch. P. 2. c. 4.*

nondum materiæ limites transiliet. Et quid si spiritus? anne statim absque principio? Emanationis admittamus præjudicium, nullo modo tamen increatum asseremus. Extra Deum quod producitur, Dei rationem non participat. Nec duo increata Entia ordo rerum conciliet. Condonandum hoc esset Geologis his insignibus, qui non minùs, ac Hakim sive medicus quidam Chanis alicujus Schamachiensis, de die (p) stellarum positus è Cœlo nubilo observans, non sine arduis superciliis vocisque & vultus gravitate compositâ astrorum interpres, *Telluris radicibus vivos dracones substerni* (q) pervident, *& ab iisdem totius regni fata* suspendunt; nisi tàm enormis aberratio animarum perniciem secum traheret. Feliciores olim hodieque Cœli fuére interpretes, rerumque naturæ magis capaces, sidereæ compaginis repertores. Possidonii sphæram Romanæ eloquentiæ parens (r) deprædicat. Archimedis solertia idoneos buccinatores (s) reperiit. Inter deperditas hodiè, si non deploratas res, Perpetuum, quod vulgò vocant, Mobile connumerant. Et verò machinam nullo aut parvo cum successu plures moliti sunt. (Catalogum eorum Valerius Saledinus (t) nectit.) Quid in Silesiorum metropoli machinator hujusmodi ante annos aliquot effecerit, conterraneos meos latere non potest. Inventus tamen est Cornelius Drebbel, Chymicus & Mechanicus celeberrimus, qui Jacobo, sapientissimo Britonum Monarchæ (u), *globum* promisit *perpetuò secundùm cursum ætheris singulis 24. horis semel circumrotatilem, qui vel mille annis ne semel falleret: ostendentem annos, menses, dies, horas, cursum Solis, Lunæ, omnium Planetarum & stellarum, quarum motus hominibus notus.* Promisit & præstitit etiam, nec Re-

gi

(p) *Olear. Itin. Pers. IV, 20.* (q) *Trigaut. I, 8.* (r) *2. de N. D.* (s) *Cic. ib. Claudian. in epigr. p. m. 246.* (t) *de Perpetuo mobili, à p. 11. ad 17.* (u) *in ep. ad eund. editore Joach. Morsio.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

gi solùm Britanniæ, sed & Imperatori gloriosissimo Rudolfo II. prout describserat, tradidit. Visitur *opus* (x) *supra mortalium naturam, singulis conversionibus idem efficiens in Sole & in Lunâ, & quinq; Stellis errantibus, quod in Cœlo singulis diebus & noctibus efficitur.* Quorsum abripiar, Lector Benivole, ne rogites. Rem ipsam premit hæc oratio. Spiritualis natura inimitabilis est: solertia humana quæ effingere valet, corporatum sit necesse est. Extimi ista orbis & maximi natura certissima, motus licet incertissimus sit. Majore sanè cum voluptate auræ ætheriæ imitamentum actuosum cernitur, quàm Templum & Ara in China Cœlo (y) consecrata.

§. XXVIII. Fallere potuit homines, qui sine Philosophiæ doctrinâ, quam tamen Sinenses jactitant, verè homines, aut (ut mollius dicam,) supra homines non sunt, stellarum domicilium. Animo cernitur, ratione intelligitur. Non sic *Stellæ* cœligenæ, quæ simplex ætheris dorsum almâ & sacratâ lucis amœnitate coronant. Ferit oculos splendor clarissimus, in admirationem rapit multitudo innumerabilis, suspensos tenet ordo & constantia. Duo earum sunt genera. Immutabilibus spaciis alterum ab ortu ad occasum commeat, nullum unquam cursus sui vestigium inflectit; duas continuas conversiones alterum iisdem spaciis cursibusque conficit, & inordinatum, ut sic dixerim, servans ordinem. Ratus, nihilque sempiternis, ut ita loquar, seculorum ætatibus immutans motus sensum inesse sideribus & intelligentiam (z) suasit. Errorem hunc cum Platonicis erravit Origenes, errant Judæi. Plotinus (a) *Stellas vota nostra cognoscere, exaudire quoq;* asseruit. Adamantius: *Animata sunt*, inquit (b), *corpora cœlestia, quoniam à Deo mandata*

(x) *Valer. Saledin p. 24.* (y) *Kirch. T. 1. f. 5. c. 2. p. 401.* (z) *Cic. 2. de N. D.* (a) *V. Cœl. Rhodig. Lect. Antiq. l. 18. p. 18.* (b) περὶ ἀρχῶν.

data dicuntur accipere, quod rationali tantùm naturæ contingere, consentaneum est. Augustinus (c) dubitat, *utrum ad eandem societatem Angelorum pertineant Sol & Luna & cuncta sidera, quamvis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu & intelligentia videantur.* Menasse ben Israël (d): *Cœli*, scribit, *secundùm R. Mosen (e), & rei veritatem, habent animas proprias, rationali vita præditas.* Ulterius adscendit superstitio, & divinitatem astris tribuit. Indoctè & impiè. *Origo* antiquissima. *Ænoschi* statim *tempore* ministerium stellarum, quod indefesso studio creatori præstant, impios venerationis debito fascinavit. V. Maimonid. de idol. c. 1. p. 1. ubi tamen malè (f) inter Αστρολάτρους Ænoschum refert. Per manus tradiderunt Arabes veteres *Sabæi*, (sive, Muhammedis inscitia ס vel ש in צ mutantis, *Zabæi*,) Nabathæis, Chasdæis, Charranæis, Muhammedis quoque, qui seculo VI. notam inussit, tempore (g) superstites. Nec hodie exspiravit. Cœli militiam adhuc (h) multæ nationes aquilonaris barbariæ colunt. *Moscovitarum septentrionalium* (i), *Chinensium* (k) *Japonensium* (l) devotionem mereri feruntur. *Goënses* (m) porro, & *Philippinarum* incolas dementarunt. Postremi eas *Solis & Lunæ liberos* (n) opinantur. In *Magellanicam* (o) eadem opinio transfretavit, & *Americam* (p). Præ cæteris *Peruanos* religione detinuit *Colca*, in aurigæ borealis signi humeris conspicua

mun-

(c) *Enchirid. ad Laurent.* 58. *Conf. Dionys. Carthus. in Deut.* 17. *f.* 373. D. *Sixt. Senens. Bibl. S. l.* 5. *annot.* 108. *p.* 368. *B.* (d) *Probl.* 25. (e) *Jes. Tor. c.* 3. §. 11. *More Nevoch. part.* 2. *c.* 5. *Conf. Hoornb.* תי״ *IV*, 1. *à p.* 310. *ad* 319. *Hott. Hex. p. m.* 32. *seqq.* (f) *Vid. Dionys. Vossii, interpretis ejus, notas in eund. p.* 5. (g) *Hott. H. O. l,* 8. *p.* 163. *Thes. p.* 53. (h) *Guilhelm. Parhisiens. l. de fid. & legib. cit. Dionys. Carthus. in Deut.* 17. *f.* 373. D. (i) *Michovv l.* 2. *tr.* 2. *c.* 2. (k) *Ortel. p.* 101. *Henning. II,* 2. *p.* 73. Roß *p.* 154. (l) *Lind. p.* 1137. (m) Roß *p.* 162. (n) *Id. p.* 196. (o) *Moseman. Americ. l.* 3. *p.* 86. (p) *Kirch. T.* 1. *f.* 5. *c.* 5. *p.* 423.

——mundi nutrito rege *Capella*,
Cujus ab uberibus magnum ille ascendit olympum,
Lacte fero crescens ad fulmina vimque tonandi (q).

Munera singulis sua distribuebantur, singulæque deinde à singulis adorabantur, prout cujusque necessitas poscebat. Opiliones stellam *Urcuchillay* h. e. *Lyram* adorabant. Eam arietem diversicolorem fingebant; cujus hæc unica esset cura, ut custodiret pecora. Vicinas eis *Catuchillay*, & *Urcuchillay* alteram ovem, alteram agnum comminiscebantur. *Machuacuai* serpentibus ac colubris imperabat: *Chuquichinchai* (i. e. Tigris,) tigribus, ursis ac leonibus præfecta erat. Nullum enim uspiam animal, s. quadrupes, sive volatile in terra esse credebant, cujus simulacrum in cœlo non splenderet, unde simile in terris procrearetur, suumque acciperet incrementum. Itaque cum diversissimis stellis ipsis res erat; quas *Chacana*, *Topatarca*, *Mamana*, *Mirco*, *Mequiquiray*, & aliter nominabant, adeoque cum Platone, ubi de ideis tradidit, apprimè consentiebant (r). Ideò verò (s) eas divinis honoribus prosequebantur, ut, si animal mansuetum esset & utile, astrum virtute suâ id conservaret; si venenatum noxiumque, ab ejus vi nocendi homines præservaret. *Chiani* populi sunt vicini oppido S. Crucis in monte. Hi dividunt, ut nos, annum in XII. menses, dicentes, unicuique certam præsidere (t) stellam, quam adorabant, certisque venerabantur sacrificiis, præsertim iis mensibus, quibus fruges colligebant. *Tapuyiæ*, Brasiliæ natio, *Plejades* (Job. 38. 31. כִּימָה (u)) numinis colunt loco (x), canendo, choreasque ducendo, inprimis in loco ad id destinato; illac tendunt, postquam

N fru-

(q) *Manil. I, 413. seqq.* (r) *Voss. de Idol. II. 36. p. 505. ex Acost. V, 2. Conf. Gottfr. Hist. Antipod. P. I. p. 31.* (s) *Gottf. Arch. Cosm. p. 274. seq.* (t) *Id. ib.* (u) *Conf. Pined. ibi, n. 4. p. 1000.* (x) *Lind. p. 1130. ex Jac. Rabbi.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

fructus ferè ad maturitatem pervenerunt. *Polaris stella* non magnetem saltem; hominum etiam mentes ad se convertit. A polari puncto hodiè ad 3. gradus remota, nondum cultores suos à se removit. *Samojeda* Scythæ sunt septentrionales, Europæi & Asiatici, quia limitanei (y), Moscoviæ subditi. *Nova Zembla* (rectiùs (z) *Zemia*. Hoc enim vocabulo *viam*, illo *panem* populari linguâ vocant.) incolæ incultam incolunt insulam, & ob nives æstate quoque deciduas & liquescentes lubricam & paludosam. Illi (a) olim, (hodiè enim Samojedi Christiani (b) sunt, ante hos XX. & quod excurrit, annos à Sacerdotibus Græcis, quos populus iste ultrò à Czare petierat, conversi:) sicuti hi (c) quoque, stellam modò dictam, sive astrum mavis, cynosuram illam parvulam, aut ipsam helicen, & clarissimos septemtriones, astrum inquam istud deastrum fecisse memorantur. *Tapuja* sanè Brasiliani numinis loco *ursam majorem* (d) venerantur, sive *Septemtriones*, quos à figurâ *Plaustrum* cum vulgo vocamus. hoc sidus cum manè adspectant, gestiunt læti. Illi cantus suos & saltus, aliaque nuncupant.

§. XXIX. Eum in modum corrupta ratio circa fixarum stellarum radios allucinata fuit. Quod si lusca mortalitas fidei tubo aut saltem rectæ rationis telescopio sese armasset, præcisis errorum radiis punctulum quoddam singula esse ad immensitatem Dei collata cognovisset. Major deceptio circa *lumina duo* & *quinq; Vagas* accidit. Error earum legitimus: hominum intestabilis. Superstitionis fax & tuba *Sabæorum* (e) delirium. Hi *Planetas septem, septem Deas, masculos esse & fœmellas* commemorabant, *conjugio sibi mu-*

tuò

(y) *Olear. Itin Pers. III, 3. p. 159.* (z) *Alsted. l. 12. Encyclop. p. 1429.* (a) *Moseman. Hist. Mundi P. 1. c. 12. p. 415.* (b) *Olear. l. c. p. 163.* (c) *M. Gothard. Arthus. P. XI. Navig. Aquilon. p. 22.* Roß p. 141. (d) *C. Barlæus de reb. gest. sub Mauric. p. 255.* (e) *Muhammed ben Isaac, de ritib. Sabæor. p. 18. cit. Hott. H. O. I, 8.*

tuo copulatas. Istis dies sacros faciebant, primum Soli, secundum Lunæ, tertium Marti, quartum Mercurio, quintum Jovi, sextum (congregationis) *Veneri, cujus nomen Beltha est, septimum Saturno.* Adorari Planetas à *Livonum mancipiis*, quidam hodienum (f) memorant. Porrò Sabæi stipatores minorum gentium Deos constituêre; majorum, duo Luminaria. Maximus (g) verò Deus ipsis Sol fuit, quòd tantam claritatem solus obtinuit Latinitati (h) hoc vocabulo dictus. Fertur siquidem hoc Luminare maximum amplissimâ magnitudine & potestate, nec temporum modo terrarumque, sed siderum etiam ipsorum, cœlique rector. Lucem rebus ministrat, aufertque tenebras, reliqua sidera occultat, vicem temporum, annumque semper renascentem ex usu naturæ temperat: Cœli tristiciam discutit atque etiam humani nubila animi serenat; præclarus, eximius, omnia intuens. Manifesta ejus opera: sed quò commodiora, eò magis mundi totius animum, ac planiùs mentem, principale naturæ regimen ac numen (i) credere libuit. Hinc modò laudatis hæresiarchis Arabibus (k) الرب العظيم *Dominus magnus*, & رب الخير *Dominus boni* appellatus est. Hinc tantæ sub uno numine in nominibus diversitatis ratio. Omnes penè Gentium Dii ad Solem referuntur. V. Macrobium Saturnal. I, c. 17. ad 23. Serapidis Ægyptiaci (l), Osiridis item atque Hori (m), Adonidis (n) Assyrii, atque Adadi (o), (Adab mendosè apud Crinitum de H. D. XIV, 18. p. m. 375. seq.) Mythræ (p) quoque Persici una est & individua natura. Aræ Soli consecratæ fuere apud Corinthi-

(f) Roß p. 298. (g) *Maimon. l. 3. More Nevoch. c. 29.* (h) *Macrob. I. Saturnal.* 17. *p. m.* 199. (i) *Plin. H. N. II, 6.* (k) *Muhammed ben Isaac l. c.* (l) *Macrob. Saturn. I, 20. p. m.* 216. (m) *ibid. c. 21. p.* 218. (n) *ib. p. 217.* (o) *c. 23. p. 224. Scal. Exerc. 153. s. 4. p. m. 511.* (p) *Crinit. V, 14. p. m. 397.*

os (q), & una quidem *Liberatori* (r): *Servatori* (s) apud Arcades statua erecta. Celebratissima supra Syenem apud Æthiopes Solis Mensa (t) est. Numi quoque procusi. Notissimi sunt Rhodii, cujus commatis etiam fuisse plerique Pontificiorum volunt XXX. argenteos, pro quibus Salvatorem nostrum Judas prodidit. Adservatur unus in Præmod. Rev. atq; Excell. Domini Præsidis Cimeliothecâ, alterâ facie *caput Juvenis capillis crispantibus*, & tantùm non radiantibus, alterâ *lilium* ostendens. Ectypum hic damus. Ad amussim convenit cum Hottingeri icone, quem dissertatione de Numis Orientalium, Tab. VI, n. 2. ad p. 113. exhibet, modò inscribtionem ΑΝΤΙΠΑΤΡΙΣ huic demas. Talismodi etiam, cum inscribtione ΡΟΔΙΟΝ, jam laudato Dn. Præsidi in Templo Cœlestinorum extra Lovanium, quondam monstratus fuit. Et prædicabat equidem Monachus, eum ipsum ex proditoris Judæ sanguinario esse precio, utpotè à Papâ Ducissæ cuidam de Arscot hoc nomine transmissum. Cui si fides adhibenda, frustra celebratum hunc numum Romæ in æde S. Crucis in Hierusalem (u) ampliùs quæsiveris: aut si adhuc ibi ostenditur, ectypum loco prototypi alterutrinque supponi mecum credideris. Conf. Dn. Præsid. *Analecta* in Matth. XXVI, 15. p. 1128. seq. ad quæ ex itinerario ejusdem insuper observo, *vultum in argenteo expressum*, autore eodem monacho, *esse Tiberii*. Quâ fide hoc asseruerit, ipse viderit nos ad Solis cultum revertimur. *Alagabalum* eum Emeseni appellabant. Templum ipsi in urbe suâ exstruxerant tantæ magnificentiæ, & vastitatis ut fastigia ejus cum cedris Libani certare, scribserit Ruffus Avienus periegeseos Dionysianæ interpres (x). Delubrum ei ap. Hermionen-

(q) *Pausan. l. 2. p. m.* 112. & 140. (r) *ib. p.* 174. (s) *l. 8. p.* 592. (t) *l. 6. p.* 426. (u) *V. Hotting. diss. de num. Or. p.* 113. (x) *Ib. Reines. in epilog. V. L. p.* 680.

onenses (y) quoque exstructum erat. De priscorum Arabum opinione ne ambigendum quidem. Solem enim κατ' ἐξοχὴν الالاهة & الاهة i. e. *Deam* vocant: & الاهة proprium velut nomen Solis (z) est, quod per articulum non restringitur. Sed recentiora & ætati nostræ propiora contemplemur. De *Gronlanderum* religione in hunc usque diem nihil quidem certi compertum est. Exploratum nihilominus, fœminas, novissimâ navigatione A. 1654. d. 28. Juli, à Danis inde abductas interdum Solem sudo cœlo orientem (a) respexisse, & lacrumas emisisse. Unde non incommodè colligitur, populares earum Solis venerationi addictos esse: quod de multis etiam ex *septentrionalibus Sueciæ populis* (b) creditur. De *Scythis Mosco subjectis* consulatur Matthias de Michovv, l. 2. tr. 2. c. 2. Tatariæ desertæ pars sunt *Samojedi*, quibus Sol per 9. septimanas nunquam occidit. Hunc illi (c) cum aliis eodem tractu, *Molgomsais Badaisq;* (d) adorarunt. Quòd *Cathaini* divinum cultum Soli exhibuerint, Joanni Boëmo Aubano Teutonico (e) facilè credimus. Idem hodiè fieri, Linda (f) testis est. Saltem Volaterranum (g) non capio, cujus hæc verba sunt: *Nicolaus Venetus ad Seras transiit, in quarum civitate Dua idola colunt. Strato surgentes quàmprimum ad orientem se Solem convertunt, TRINI Dei opem implorantes. Sinensibus* (h) sanè DEUS putatur esse maximus. Contagio eorum correpti sunt *Japonii* (i), adeo quidem, ut Faciandorus quidam Bonzius gloriatus fuerit, *se*

(y) *Pausan. l. 2. p.* 181. (z) *Gol. Lex. p.* 144. (a) *Olear. It. Pers. II, 19. p.* 167. 169. (b) *Lind. p.* 976. *ex Olao M.* III. 2. (c) *Moseman. P. I, c.* 12. *p.* 415. *Olear. It. Pers. III,* 3. *p.* 163. (d) *Cluver. Introd. Geogr V,* 4. *p.m.* 284. (e) *de morib. gent. II, 8. ex Armenio Haitono p.* 93. *& c.* 10. *p.* 105. (f) *p.* 1020 (g) *l.* 12. *f.* 118. *b.* (h) *Ortel. p.* 101. *Henning. II, 2. p.* 73. *Lind. p.* 1091. Roß *p.* 154. (i) *Varen. de Relig. Jap. c.* 1. *p.* 15 *ex Xaver. p.* 191. *& Almeid. in ep. Ind. p.* 168. *Lind. p.* 1103. *&* 1137. *Kirch. Oed. Æg. f.* 5. *c.* 3. *p.* 407.

cum collegis suis familiares esse Solis, astrorum, deorumque cœlestium (k), *quibuscum nocturnos sæpè sermones, sæpè etiam complexus jucundissimè misceant.* Exstat apud Kircherum (l) Japoniorum quidam *Deaster triceps & octimanus.* Hunc ipsissimum esse Solem non sine ratione conjectat (m), quòd capitis & brachiorum multiplicatione perfectiones ejus designare voluerint, quemadmodum Poëtæ, qui eum Briareum Gigemque centimanum finxerunt. Suspicionem firmat, quòd dimidiata ejus imago, quæ visitur, infernè radioso Solisque æmulo fulgore cingitur. In nucleo, quem vocant, characteres inscribti visuntur, quorum significationem Delio natatori relinquimus. In mentem venit hîc Romanorum *Janus bifrons*, quem quidam Solem (n) demonstrari volunt, & ideò geminum, quasi utriusque januæ cœlestis potentem, qui exoriens aperiat diem, occidens claudat. Quamvis non desint, qui illud ad prudentiam regis solertiamque (o) referant, qui & præterita nosset, & futura prospiceret: sicut *Antevorta* & *Postvorta*, divinitatis scilicet aptissimæ comites, apud Romanos colebantur, eamque laudem *Manasses Judæorum rex* affectare visus est, qui interfecto Jesaiâ Prophetâ *statuam sibi posuit, quincuplici facie* (p) *ornatam*. Non possum, quin antiquitatis admiratoribus ex Raritheeio Gerhardino monetâ æream raritatis & antiquitatis eximiæ hîc apponam.





Notam (contuere!) habet (q) assis sextantario pondere, ex alterâ parte Janum geminû, ex alterâ rostrum navis, subscribta voce: ROMA. Ex ejusdem forulis ob materiæ convenientiam hoc loco quoq; protrahimus idolum quoddam Sinensium, à supra laudato Dn. Schelhammero Hagâ-Comitis communicatum.

IDO-

(k) *Varen. ib. c. 1. p. 15. & c. 2. p. 52. ex Tursellino in vita Xaverii, p. 343.* (l) *l. c. p. 410.* (m) *p. 409.* (n) *Macrob. I. Saturn. 9. p. m. 166.* (o) *id. ib. c. 7. p. 160.* (p) *Crinit. IV, 10. p. m. 164.* (q) *Plin. H. N. XXXIII, 3. Macrob. I. Saturn. 7. p. m. 160 seq. VVolfg. Lazius Comm. Reip. Rom. III, 3. p. 307.*

IDOLUM CHINENSIUM.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Describtione supersedere possumus, cùm pictura hæc nobis tacentibus loquatur. Illud saltem addimus, nomen & intentionem Sinicam circa istud nos prorsus fugere. Minimè autem nos fugit, Indiam Astrolatriæ ejuscemodi admodum feracem esse. Correi sunt Cambajæ sessores, *Goënses* (r) quidam, *Guzeratenses* (s) in *Narsingæ* (t) regno: Brachmanum & Gymnosophistarum veterum successores, quorum habitus Sacerdotum Solis in Ægypto amictui fere congruit. *Peguanorum* (u) sanè flamines panno induuntur luteo, quod iste color Solem referat. Nec insularum æquior conditio. Memorantur præ cæteris *Java major* (x), *Malucca* (y), *Philippinæ* (z). De *Ceilonensibus* Judæum (a) audiemus. *In Haaulam* (ita Zeilan insulam vocat:) *colitur*, inquit, *ab incolis Sol, aris extra urbem frequentibus, in quibus simulacra sunt sacrata, ad similitudinem orbis solaris magicis artibus constructa; exoriente autem Sole orbes illi incendi videntur, magnoque strepitu sonant. Summo itaq; mane communiter excurritur, aditurq; Sol à viris pariter & mulieribus, habentq; suas singuli acerras in manibus, & pariter Soli tura adolent.* Inter *Persas*, quorum rex Sapor (b) olim Solis fratrem se appellabat, hodieque Solis cultores reperiri, Vossius (c) auctor est. In *Africâ*, quanquam scintilla Christianæ religionis istic loci gliscat, multi tamen idololatræ reperiuntur, quorum nonnulli Solem pro supremo Deo colunt. In eorum numero sunt *Africa torrida* (d) habitatores, *Conganorum* (e) & *Angolanorum* (f) aliqui; vicini item eorum septemtrionales *Anzichi* (g) qui occidentale Nili littus à fluvio Zaire ad confinia Nubiæ possident, anthropophagi & pro.

(r) *Arch. Cosm. l.* 1. *p.* 249. Roß *p.* 162. (s) *Mich.* Herr/ *Novi orbis c.* 140. *ex Petro Aliare Lusit. M. Paul. Venet. III,* 35. & 36. (t) *Kirch. T.* 1. *Oed. Æg. s.* 5. *c.* 4. *p.* 412. & 414. (u) *Lind. p.* 1140. (x) *Lud. Vartom. VI,* 28. (y) *Mandelsl. l.* 3. *p.* 223. (z) Roß *p.* 172. (a) *Benj. Tudel. Itin. p.* 107. *interprete Ar. Montano. Conf. Ursin. Theol. Symb.* 40. *L' Empereur Not. p.* 214. (b) *ep. ad Constantium Imp. Crinit. II,* 9. *p.* 111. (c) *de Idol. II. app. p.* 9. (d) *Kirch. T.* 1. *Oed. Æg. s.* 5. *c.* 4. *p.* 416. (e) *Lind. p.* 1151. (f) *Kirch. l. & p. c.* (g) Roß *p.* 196.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

& proprio Principi parentes (h). *Nigritæ* insuper *maritimi* (i) alicubi Solem adorant. Adeò verum est, quod ad Emanuelem Portugalliæ regem A. 1521. interprete Paulo Jovio, apud Damianum à Goës, (k) perscribsit Æthiopum Imperator David, cognomento Athani Tingil (rectiùs ex emendatione Magnifici Ludolfi (l) Itana Dinghil. ዕጣነ፡ድንግል፡) item ልብነ፡ድንግል፡ Libna Dinghil: *Hactenus circum me Mauri erant, filii Mahometis & Gentiles, & reliqui sunt servi, qui Deum non agnoscunt, & alii, qui Solem adorant.*

§. XXX. De *Americanis* in genere (m) asseritur, quòd maximum Deum Solem agnoverint. Vicini occidentales Virginiensium & Floridanorum (n) eum adorant eam ob causam, quòd calore suo omnia producit. Unde cibum aut potum sumturi & sacra facturi, partem de escâ Solem versus projiciunt. De *Floridanis* consulantur Alexander Roß in Speculo Religionum p. 200. Joh. de Laet l. 4. c. 16. p. 218. Utinæ reguli cujusdam Floridani subditi (o) singulis annis sub finem Februarii, paulò ante, quàm ver ipsorum occiperet, tergus cervinum cornibus instructum, optimis herbis indigenis confertum consuebant, cornibus, collo & ventri fructus selectissimos annulo aut tæniâ suspendebant. Ornatam pellem cum tibiis & canticis in planicie amœnissimâ procerissimæ arbori imponebant, capite & pectore Orienti obversis. Preces suas battologiâ plurimâ erga Solem effutiebant, rogantes, ut talismodi, quos jam obtulerant, fructus iterum producere dignetur. Proximè arbori rex cum incantatore consistens, verba populo præibat, qui ipsi respondebat. Sacris peractis, suam singuli casam repetentes, tergus ad annum usq; insequentem ibi relinquebant. Alius Floridæ regulus, Saturiova nomine, contra Holatam Utinam moturus, victoriam (p) à Sole precabatur. Freti *Californiani* (q) accolæ Solem unicè venerantur. Solenne id quoque erat provinciæ *Petatlan*, (r) *in Novâ*

O *Galitiâ*.

(h) *Brerevvod. p. 84.* (i) *Barlæus p. 62.* (k) *Conf.* Roß *p. 191.* (l) *not 6. ad Confess. fid. Claudii Reg. Æth.* (m) Roß *p. 197.* (n) *Id. p. 202.* (o) *Vid America Meriani, icone 35.* (p) *Gottfr. in Hist. Antip. P. 2. p. 329. ex navig. Renati de Laudonniere, Galli, 1564.* (q) *Laet. V. 18. p. 305.* (r) *ibi c. 6. p. 285.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Galitiâ, incolis anthropophagis, ſacrificiis autem in ejus honorem abſtinebant. Majore religione Aſtrum iſthoc plerique *Novæ Mexicanæ* (s) incolæ proſequebantur. Non abſurdus videretur, qui Solem per idolum eorum CHUVENILAM repræſentatum crederet. Argumento eſſe poſſet, quod iſtud linguâ ſuâ vocabant ANNI DOMINUM. Soli, ſi cui alii, competit hoc axioma. Anni enim orbem, motu ſuo ſecundo eclipticam deſcribens, decircinat. Annus ipſe temporis eſt ſpacium, quod motui Solis per eclipticam reſpondet. Nec hieroglyphica illa ſymbola, quæ Kircherus (t) ex libro quodam Mexicano, in Bibliothecâ Vaticanâ, notat, numeriq; myſtici abludunt. Verba ejus hæc ſunt: *Caput* Idoli *inſtar modii* depictum eſt, *oculis radiantibus, aſininis auribus, naſo & ore dentato, fœdum in modum, deformatum. Vaſa ad ſacrificium pertinentia utraque manu tenet; reliquo idoli corpori varia paſſim diverſarum animalium capita, quibus menſes & Zodiacũ referre ſtuduerunt, inciſa videntur: pedes habet elephantis, reliqua verecundiâ prohibente dicenda non exiſtimavi.* Accedit opinio, quod eô cultô ſacrificiisque conſuetis placatô magnam ſibi rerum ſponderent ubertatẽ. (Anne aliquid de hoc munere participat *Nortia* (u) Hethruſcorum Dea, in cujus templo clavi, indices numeri annorum, fixi comparuerunt?) Ne quid deſiderium Lectoris moremur, aut ſenſu noſtro abundare videamur, libet ſimulacrum ipſum ſubjicere. Hæc enim apud laudatum Kircherum p. 424. eſt

FIGU-

(s) *ib. c. 26. p. 316. Jo. Lud. Gottfr. Hiſt. Antip. P. I. p. 31.* (t) *T. I. Oed. Æg. ſ. 5. c. 5. p. 423. & 424.* (u) *Liv. dec. I. l. 7. p. 437.*

FIGURA CHUVENILÆ IDOLI MEXICANORUM.



Non desunt, quibus decantatissimus ille VITZLIPUTZLI, primas in trigâ Mexicanorum Deorum tenens, symbolicè Solem [à quo tamen eum Joh. Lud. Gottfrid (x) distinguit,] repræsentare creditus fuit. *Sedebat (y) Viri formâ è ligno elaboratus, in solio cæruleo lecticæ imposito, è cujus lateribus seu angulis baculi serpentium capitibus conspicui prominebant. Cutis idoli undiquaque erat cærulea: nasus livore ad aurem utramque pertingente decoloratus. Caput ornabatur plumâ preciosâ in rostrum effigiatâ, cujus apex auro politus fulgebat. Lævâ scutum album gestabat, decusse quinque pennarum concolorum, superiùs palmulâ aureâ insigni, ad latus quatuor sagittæ cælitùs,*

(x) *Hist. Antipod. P. I. p. 31.* (y) *Roß p. 203. seq. Gottfrid. l. c. p. 32.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

uti nugabantur, demiſsæ, infixa. Dextra ſcipioni ſerpentis inſtar formato & livido innitebatur. Divinitatis naturam ſigillo hoc expresſam præſumi posſet. Thronus cæruleus, cœlum: capita anguinea ſapientiam, pennæ & aurum gloriam, ſcutum defenſionem, ſcipio regimen, 4. ſagittæ poteſtatem in 4. mundi partes diditam referrent. Vero tamen ſimilius, autore Alexandro Roß (z) videtur, throni colore Solis regiam, æthera cæruleum, plumis claritatem ſplendidisſimam, auro gloriam, clypeo & lituo caloris tutelam & offenſam præſignificata fuiſſe. In *Nicaraguâ* (mendosè fortè Incaragua, Roß p. 214.) ſanè, Novæ Hiſpaniæ provinciâ, Solis adoratio viguit. Ad Peruvianam Americam ut accedamus, nihil aliud pro Deo, quàm Sol, *in Caſtiliâ aureâ* (a) reputabatur. Ipſi *Peruani* (b) ſecundum à Creatore Soli tribuebant locum, cùm nullius ſideris virtus ſe magis exſerat. In Cuſcano templo præter cæteras imagines *Punchao* viſebatur. Statua Solis erat ex auro ſolido, tanto artificio in Orientem converſa, ut quoties Sol oriens eam ſuis percuteret radiis, tantus inde ex reverberatione radiorũ ſolarium exoriretur ſplendor, ut ipſius meridiei claritatem duplicaret. Eo ipſo Ægyptiorum (c) conferenda artificio, qui Heliopoli (Hebr. ען שמש, Arab. عين شمس ob id dictâ,) Speculum in Solis templo poſuerant, quod Solis radiantem faciem integro die referret, totamque ædem lumine ſuo illuſtraret. Tertium apud Peruanos Templum univerſale erat in inſulâ *Laty Ticicaquenſis*, quæ tota erat Soli dedicata. Cauſſa ſequens (u) fertur. Terræ illæ (ſi vera fides) aliquando multis diebus ſolari lumine ac diei beneficio caruerant. Poſtremò Sol repentè in eâ comparuit inſulâ, unde lux & claritas provinciæ rediit. Hâc re motus Inga magnificum illud ſideri ſplendidisſimo templum exſtruxit. Iſti etiam puellas, ſub Mamacunis ſuis degentes, conſecrabant; quotidiè vervecem tonſum, panno rubeo involutum, cremabant; detonſa ſupercilia ſua offerebant. Iſti dies feſtos inſtituebant, & ſolennitatem, inter quatuor annuas,

maxi-

(z) *l. c.* (a) *Martyr dec. 3. l. 1. p. 209.* (b) *Hiſt. Antip. P. 1. p. 34. Arch. Coſm l. 1. p. 267* Roß *p. 220. Niremb. H. N. IIX, 13. Varen. de diverſ. Relig. p. 224.* (c) *Aben Hakem Aben Seira, cit. Kirch. T. 1. Oed. Æg. ſ. 1. c. 4. p. 29. ſeq. T. II. P. 2. cl. 8. §. 1. pragm. 5. & 6. p. 329. ſeqq. Archont, Coſm. l. c.*

maximam (x), *Yntip Raymi* i. e. *Solis festum* solenne, aut simpliciter *Raymi* dictam, celebrabant. Isti in metropoli Cusco, quod quidam (y) referunt, liberos suos immolârunt. Ipsis Ingis secundus à Viracocha Deus erat: imò Peruvianis tantùm (z) pro numine cultus fuit, juxta aliquos. Huic etiam immolabant omne penè genus animalium, potissimum autem oves ipsis domesticas; item omnis generis fruges & potiones, vestesque. Antequam sub unius imperium cogerentur, pro libitu quisque (a) plantas, animalia, flumina, montes, inprimis autem ferocia animalia, & omnia denique, quæ aut impensè diligebant, aut horrebant. Quibusdam nihil erat præcipuâ aliquâ veneratione. Yncæ vagam superstitionem ad certam revocarunt, Solemque adorare jusserunt, persuasi, creatorem huic sideri inter cætera principem locum assignasse, idque optimè de rebus humanis mereri. Autor (b) præ reliquis laudatur Inga Capac Ypangui, qui incolas vallis Chincæ, pro numine sibi peculiari, quod vocabant *Chinca Camac*, Solem adorare docuit, condito ibi sumtuosissimo Solis templo, & Vestalibus illi adjunctis. Et quanquam, secus, ac alii opinati fuerunt, Garcilasso annuamus, in valle Peruviæ Pachacama templum fuisse conditoris universi, non autem Solis: (c) nobis tamen non abnuet, unicum istud fuisse, Soli verò infinita (d) penè templa eáque sumtuosissima dedicata. Eum *Cerabaroi* (e) ab horizonte surgentem reverenter excipiunt, & devotè suspiciunt. Diversi ab his *Guajanæ* incolæ (f) circa Cajanæ flumen, Solem quidem animatum arbitrantur, venerantur; non tamen aut adorant, aut quicquam illi immolant, offeruntve. Unanimes cum illis Terræ Australis, Novæq; Zemiæ (g) indigenæ. Cui volupe est, priscorum instituta circa hoc negocium cognoscere, evolvat, quæ Philologorum Phœnix, Magnus Dilherrus commentatur ad Ezech. VIII, 16. T. 1. Disp. VII. p. 155. seqq. Conjungi potest Quistorpius in Genes. XI, 28. p. 30. Deut. IV, 19. p. 193. in 2. Reg. XXIII, 5. p. 332. in Jes. XVII, 8. p. 585.

(x) *Laet. XI, 17.* (y) *Gottfr. Hist. Antip. P. I. p. 30.* (z) *Laet. XI, 16. p 475* (a) *Id. X, 1.* (b) *Id. X, 25. p 436.* (c) *ib c. 24. p. 434.* (d) *ib. c. 1.* (e) *Mart. dec 3. l. 4. p. 250.* (f) *Laet. XVII. 11. p. 641. seq.* (g) *M. Gotbard. Arthus. P. XI. Navig. p. 22. Conf. Moseman. l. 3. p. 86.* Roß *p. 141.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

§. XXXI. Ita diei præſidem ſtulta mortalitas venerata eſt. Alterum Luminare *Luna*, terris familiariſſimum, & in tenebrarum remedium è naturâ repertum erat (h). Reperit Satanas, quò ſidus benigniſſimum injuriâ afficeret. Qui Lunam adorant, in *Sueciæ populis ſub polaribus* inveniri traduntur (i). Sole occaſo *Samojedis* (k) hæc religionis objectum fuit. *Cataini Tatari* (l) ei ſacra facere dicuntur. *Chinenſium* (m) hæc ſuperſtitio torquet ingenium. Devotionem eorum teſtatur templum in metropolitanâ Nenchienſi, reginæ cœli, quæ ipſa Luna eſt, (n) dicatum. Idem malum, propter vicinos malos, *Japones* (o) exagitat. Accedunt in Indiâ *Goënſium* (p) quidam, & citra Indum *Guzaratenſes* (q): ex inſulis *Java major* (r), *Moluccæ* (s), *Philippinæ* (t). *Africa* parùm nobis nota: non ignota tamen *torridæ* (u), quæ vocatur, Selenolatria, *Nigritæ* quoque *maritimi* (x) Lunam alicubi adorant. In pari veneratione *Conganis* (y) nonnullis eſt, & vicinis eorum ſeptemtrionalibus *Anzichis* (z). De *Americanis* vulgò (a) narratur, quòd unà cum Sole ſummum Deum Lunum cenſuerint. *Floridani* (b) equidem nonnullum ei impenderunt cultum. *Mexicanorum* pleriq; (c) eum pro numine venerati ſunt. Vizliputzli collega quidam colebatur Mexici. A latere ejus, columnæ ſequioris operis & decoris, affixus erat. Nomen idoli TIALOK, ſivè TLA-

LOC

(h) *Plin H. N.* VII. 9. (i) *Olaus* M. *III*, 2. (k) *Moſem.* P. 1. *Hiſt. Mundi c.* 12. *p.* 415. *Olear. Itin. Perſ.* III, 3. *p.* 163. (l) *Boëm. II*, 10. *p.* 105. *Lind. p.* 1020. (m) *Ortel. p.* 101. (n) *Kirch, T.* 1. *Oed. Æg. ſ.* 5. *c.* 2. *p.* 401. (o) *ib. c.* 3. *p.* 407. *Varen. c.* 1. *de rel. Jap. p.* 15. (p) *Arch. Coſm. l. I. p.* 249. (q) *Mich.* Herr *Nov. Orb. c.* 140. *ex Petro Aliare Luſit.* M. P. *Venet.* III, 35. 36. (r) *Vartom. VI*, 28. (s) *Mandelsl. l.* 3. *p.* 223, (t) Roß 172. (u) *Kirch. T.* 1. *Oed. Æg. ſ.* 5. *c.* 4. *p.* 416. (x) *C. Barlæus de reb. geſt. ſub Mauric. p.* 62. (y) *Lind. p.* 1151. (z) Roß *p.* 196. (a) *Id. p.* 197. *Kirch, T.* 1 *Oed. Æg. ſ.* 5. *c.* 5. *p.* 422. *Gottfr. Hiſt. Antip.* P. 1. *p.* 30. (b) *Laet. IV*, 16. *p.* 218. Roß *p.* 208. (c) *Laet. V*, 26 *p.* 316.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

LOC, (d) Mosemano (e) TLALOS,) æqualis cum Vizli-putzli potestatis. Dianæ veterum dignitate apud cultores suos fuisse, quidam (f) memoriæ prodidit. In contrarium abit Joh. de Laet (g), qui istud TLALLOC nominat, & Neptuno respondisse conjicit. *Peruani*, contrà ac alii (h) scribserunt, etsi Lunare sidus, tanquam Solis conjugem, venerati fuerint, ei tamen nullum cultum divinum, teste Ynca Garcilasso (i), impenderunt. *Varai* verò *in Brasiliâ* (k) Lunam novam, quando adepta aliquid luminis in cornu ibat, adorabant, horrendis cum ululatibus & absurdo corporis motu, ut ab ipsâ certam mittendi ab arcu sagittas adipiscerentur scientiam, quod unum eorum potissimum est exercitium. Contra ea *Guajanæ* (l), circa flumen Cajanæ, incolæ Lunam quidem animatam arbitrantur, eamque venerantur, non tamen aut adorant eam, aut quicquam ei immolant. *Hispaniolæ* rursus incolæ & *Canibales* (m) Cœlum ejusque lumina adorarunt: eoque philtro *Magellanica* (n), cum *Nova Zemia* (o) inebriata est. Stupenda prorsus insania, quæ tantum non omnes mundi angulos invasit. Antiquitatis camarinam movere vereor: tantùm recentioribus veteres Arabes adjungo, quibus propterea الـعـة & الالـهـة *Dea*, i. e. κατ᾽ ἐξοχὴν idem significat, quod الهـــلال *Hilâl* (p), h. e. *Luna corniculata*. De *Stipatoribus*, quos vocant, Planetis pauca occurrunt. *Saturnum Philippinorum secta* adorat, sed MAGLENTE vocat, q. d. *fulmina vibrantem* (q), à lente, *fulmen* & mag, *vibrare*. An, ut Plinius (r) scribit, magnâ cœli affectatione cum principibus doctrinæ viris compererunt, superio-

(d) *Gottfr. Hist. Antip. P.* 1. *p* 32. (e) *l.* 1. *Amer. p.* 31. (f) Roß *p.* 204. (g) *V*, 9. *p.* 239. (h) *Varen. de divers. Rel. p.* 224. (i) *Laet. X*, 1. (k) *Arch. Cosm. p.* 275. (l) *Laet. XVII*, 11. *p.* 641. (m) *Martyr l.* 1. *dec.* 1. *p.* 7. (n) *Moseman. l.* 3. *p.* 86. (o) *M. Gothard. Arthus. P. XI. Navig. p.* 22. Roß *p.* 141. (p) *Gol. Lex. p.* 144. (q) *Kirch. T.* 1. *s.* 5. *c.* 4. *p.* 413. (r) *H. N. II.* 20.

riorum trium ſiderum, (Saturni puta, Jovis & Martis,) ignes eſſe, qui decidui ad terras fulminum nomen habeant? Quamvis maximè hunc ignem ex iis medio loco ſiti, vetuſtas crediderit, ideoque dictum Jovem fulmina jaculari. *Luciferum Americanis* in deliciis, imò deorum cenſu fuiſſe, quorundam (s) opinio eſt.

§. XXXII. In ſcenam prodierunt Corpora ſimplicia incorruptibilia: ſeqvuntur jam corruptibilia. *Elementorum* quadrigæ ſacra faciunt *Tatari* (t) *Cataini*. Adorant eam in totidem ſectas diviſi (u) *Siamenſes*. *Ignis*, elementorum princeps atque arbiter, divinitatis Solis particeps judicatus eſt. Auxit imperium ſuum perpetuo dominatu perſuaſio. Ignem pro Deo habere, *Lapporum* (x) religio fuit, hodieque durare (y) ſuperſtitionem, fama eſt, quòd nullū ſine igne è ſilice excuſsô celebrent matrimonium. Apud *Lituanos* neſcio quis fumi vel camini præſes *Din ſtipan* (z) memoratur. *Indi* præ reliquis pyrolatræ audiunt. Brachmanes & Gymnoſophiſtæ (a) Ignem ſolaribus radiis conceptum ſummo ſtudio fovent. Eum plerique tanquam ſacrum animal adorant: huic filios immolant, in hunc ſeipſos conjicientes (b) concremant, hoc facto venerationem erga eum monſtrantes. *Cherſoneſi aureæ*, quæ pars eſt regni Sian, [Tudelen ſi (c) אִיי כנרג *Inſulæ* Chenerag,] incolæ ſunt דוגביין *Dugbijin*. שם אש גדולה וקוראין אותה אלהותא *Ibi magnus Ignis eſt, quem vocant Divinitatem.* Per eum filios expiaturi transmittunt. Et ſunt, qui ſe vivos igni devovent, dictoque die, poſt ſplendidas epulas, comitantibus cognatis, multoque populo, inter tibiarum concentum tympanorumque pulſum læti & alacres, velut ad nuptias profecturi, inſiliunt. Triduo pòſt, Sacerdotum præſtigiis, ad familiam reverſi, mandata coram teſtibus ultima dant, nec poſtea redire aut conſpici ſolent. Ita Rabbi, & ex eo autores laudati

Obe-

(s) *Gottfr. Hiſt. Antip.* P. I. *p.* 30. (t) *Boëm.* II, 10. *p.* 105. *Lind. p.* 020. (u) Roß *p.* 157. *Lind.* 1140. (x) *Damian. à Goês. in deſcribt. Lappiæ.* (y) Roß *p.* 299. (z) *Archont. Coſm.* (a) *Kirch. T.I. Oed. Æg. ſ.* 5. *c.* 4. *p.* 414. (b) *Conf. Kirch. l. c. p.* 412. & 415. *ſeq. Schik. Tarich. p.* 126. *ſeqq. Urſin. Acerr. p.* 429. *ſeq.* (c) *Itin. p.* 108.

Obelisco verò narrationem hanc notat Constantinus L' Empereur notâ sequenti (d): *Quæ de iis*, inquit, *narrantur, qui se igni stulto & insano ritu devoventes in ignem, quem Deum arbitrantur, insiliunt, reliquis à Benjamine temerè affirmatis accenseo. Legimus quidem, apud Brachmannos, cùm uxores maritorum morti inhiarent, tandem publico ritu receptum, ut se præcipitarent in mariti rogum: ne quæ mulierum mariti mortem acceleraret, utpote cui simile exitium immineret. De altero autem, quod noster pluribus describit, hactenus mihi nihil innotuit: itaque auctori aliàs non satis fide digno fidem habere nequeo* Hæc ille. Interea tamen *Persæ, in Indiâ*(e) dispersi, Ignem super omnia venerantur, neque exstingui patiuntur: hunc quippe Deo simillimam possidere naturam & proprietatem existimant. In natali solo num Persæ ignicolæ supersint, divisæ reperiuntur auctorum sententiæ. Caucasi pars Elburs est, Georgiæ collimitanea, ubi olim Persæ ignem ἄσβεστον aluerunt. Exstinctus est Perside subactâ, ab Omero (f) tertio Muhammedis successore. An de publico cultu id capiendum? Circa urbem Jazdy (Jasdi, vel Jex, in Persiâ,) mœnibus amplissimam, V. M. pass. circuitu patentem, hodieque reperiuntur Ignicolæ, qui ad differentiam Muhammedanorum vocantur Gaoryazdy. Ita de suâ ætate scribit Teixera (g). Addit Schickardus (h): Ego ethnicos Jazdenses interpretor. Quamvis enim autor l. 1. c. 1. f. 4. voculam *Gaor* à cultu Bovis deducere conetur, quod Persice *Gao* significet *vaccam* (cui nostrum Kuoh consonat,) ego tamen potiùs à Turcicô گاور *Gaur* derivarem, quod *infidelem* notat, & opponitur (i) Musulmanno. Fanum habent in propinquo monte Albors, ubi à tempore Kajomarrhati (nepotis Noæ (k),) huc usque, jam ultra 35. secula Ignis arsit continuè, nec unico interea momento exstinctus fuit. Unde non mirum

P est,

(d) *p. 215. seq.* (e) *Varen. de div. Rel. p. 303. Olear. Itin. Pers. IV, 20.* (f) *Georg. Gentius Not. ad Rosar. p. 533. cit. Hott. Hex. p. m. 132.* (g) *in App. Relat. p. 383.* (h) *in Tarich p. 128.* (i) *Conf. Abd. Prætor. annotat. in Confess. Armen. de voce Giaur p. 130. seqq.* (k) *Schik. proœm. Tarich p. 25,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

eſt, ipſos antiquitate ſuperſtitionis ſuæ fretos, Muhammedismum admittere noluiſſe. Hodierno adhuc die ſuperſunt, ſuperſtitionis ſuæ tenaciſſimi: Hottingerus (l) ſcribit. Sedes eorum præcipuè in urbe Spahan, quam interfluit fluentum Senderot: cis quod oppidum vocatur Gauriſebat; teſte Gerardo Jo. Voſſio (m), cui id ipſum Andreas Colvius Dordrechtanus ex itinerario mſcr. Jo. Mivaſii Mercatoris Leodicenſis, qui annis 18. in Perſiâ vixerat, retulit. Negat tamen hæc omnia & pernegat verbis diſertis nobiliſſimus Olearius (n) Legationis Perſicæ A. 1637. comes, qui teſtis oculatus, quòd nobis pluris eſſe videatur quàm auriti decem, nemo, credo, vitio vertet. Si qui clancularii adhuc latent, vanitatem eorum inſectamur Perſico hocce Proverbio (o):

اجرکبر سال کبر اتش فروزن اکر یکدم اندرو افتد بسوزد

Licet Gaber (ſive Kebber, ut Olearius legit, h. e. Ignicola) *per* 100. *annos accendat ignem, tamen ſi vel ſemel in eum incidat, comburitur.* Æquè ridiculi ſunt, ac populi quidam (p) Aſiæ, quibus ignis primò viſus adeò arriſit, ut amplecti etiam flammas, & ardentia ſinu abdere, donec nocerent, maximè libuerit. Multò minus verò excuſandi *Virginienſes* (q), qui eum non tàm amore ducti, quàm quod nociturum ſciunt, adorant.

§. XXXIII. *AER* (r) mari finitimus die & nocte diſtinguitur, isque tum fuſus & extenuatus in ſublime fertur; tùm autem concretus in nubes cogitur; humoremque colligens terram auget imbribus, tum effluens huc & illuc ventos efficit. Idem annuas frigorum & calorum facit varietates, idemque & volatus alitum ſuſtinet, & ſpiritu ductus alit & ſuſtentat animantes. Ea propter pro DEO habitus eſt quibusdam Philoſophis, imò totis (s) gentibus. Noſtro tempore *Chilenſium* quidam (t) Aërem cre-

(l) *Theſ. p.* 57. (m) *Append. II. de Idol. p.* 9. (n) *Itin. Perſ. V,* 6. *p.* 562. (o) *Lev. VVarner. in Prov. Perſ. cit. Hott. l. c.* (p) *Pomp. Mela l.* 3. *de Æthip.* (q) *Laet. III,* 18. *p.* 84. *Lind. p.* 1120. (r) *Cic.* 2. *de N. D.* (s) *Voſſ. de idololatr. II,* 84. *p.* 729. *ſeqq.* (t) *Lind. p.* 1134. *ex G. Marggrav.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

credunt ſpiritum; quem appellant PILLAN, & illum in ſympoſiis ſuis venerantur. *Niſi* eum ipſum ex Barlæo mox citando Tonitru interpretari malueris. *Aqua* elementum eſt cæteris omnibus imperans. Imperare ſibi noluit ſtupor gentilium, ut imperioſisſimum elementum cultu ſuo violare abſtineret. *Narſinga* Rex (u) *Gangis* aquâ ſubinde allatâ lavatur. *Bengalenſes* flumen ipſum, quod ſacrum (x) eſſe exiſtimant, tanquam ex Paradiſo ſcaturiens, non adorant tantum; ſed & picturam ejus venerantur. Viſunt ad flumen (y) multi mortales, beati opinione ſuâ, ſi eo ablui obtigerit. Aquæ hujus hauſtus in agone mortis ſumtus vim habere creditur, eodem momento ad cœlum perducendi. *Fons* (z) ibidem ſcaturit, in quem ſimili impietate pii ſunt. Arenam ex eô, reliquiarum inſtar, exportant, donariiq; loco florum manipulos ibi relinquunt. *Virginienſes* (a) timore perculſi; ipſorum atque *Floridanorum confines* occidentem verſus (b), emolumentis illecti, Aquam adorant. His probatur Poëtæ illud: ὕδωρ ἄριστον, Aqua optima. Non minùs *Mexicanorum* (c) mentes commodis ſuis detinuit. Cùm Autzol Rex ipſorum VIII. fluentum quoddam ab oppido Cuyoacan foſsâ in urbem derivaret, cives amnem defluentem ſolenni apparatu comitabantur. Sacerdotes in littore ipſi thymiamata accendebant. Alii hoſtiis cæſis ripæ ſanguinem invergebant. Alii lituis fidibusque canentes aquam excipiebant. Ipſe Rex Sacrorum habitu Nereidum incedebat. Mare *Peruani Mammacocha* (d) nominabant, atquê hoc nomine colebant. Flumina item & Fontes (e) hoc honore afficiebant. & littorales quidem Peruani (f) inde à Truxillo ad Tarapacam, antequam ab Yngis ſubjugarentur. *Terræ* uni rerum naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indidimus maternæ (g) venerationis. Subſiſtendum fuerat. Sed *cur non & Terram*, inquit Plotinus (h), *ſentire dicamus? Omnino ſciendum, Terræ animam non cenſeri abjecti cujuspiam eſſe corporis. Eam proindeque intelligere, atque inſuper eſſe Deam.* Nec totam ſolummodo, ſed & per partes anguſti animi, quos terrena nimis delectarunt, conſecravere.

 Poſt

(u) *Mandelslo l. 3. p. 198.* (x) *Id. ib.* (y) Roß *p. 160.* (z) *Id. ib.* (a) *Laet. III, 18. p. 84. Lind. p. 1120.* (b) Roß *p. 202.* (c) *Gottfr. Hiſt. Antip. P. 1. p. 63.* (d) *ib. p. 30.* (e) *Joſeph. à Coſta V, 2. & 4. Gottf. l. c. p. 31.* (f) *Laet. X, 19. p. 426.* (g) *Plin. H. N. II, 63.* (h) *Cæl. Rhodig. I, 18. p. 15.*

Post terram (*Moscoviæ*) Viatka nuncupatam, in Scythiam penitrando magnum idolum jacet, *ZLOTA BABA*, quod interpretatum (i) sonat *Aurea anus s. vetula*. Evane sit, an Tellus, dubius est Vossius (k). Gentes vicinæ colunt illud & venerantur. Moscovitæ hi sunt idololatræ, Tatarorum confinia tenentes (l). *Obdoriani* puta ad Oby flumen (ab Obbo amne dicti, quibus Vogulici vicini ac Hugrii (m)) & *Jougoriani*. Nemo omnium in proximo gradiens, aut feras agitando & in venatione sectando vacuus & sine oblatione pertransit: quin imò, si munus nobile deest, pellem, aut saltem de veste extractum pilum in offertorium idolo projicit & inclinando secum reverentiâ pertransit. Idolum hoc sacerdos (n) consulit, quid ipsis faciendum, quove sit migrandum, ipsumque (dictu mirum!) certa consulentibus dat responsa, certique eventus consequvuntur. Portentum artis Sinicæ est, quod in provinciâ Suchuen, inter urbes Chunking & Tunchuen, primus *Mons* (o) in ripa Feu (al. Fu) fluminis *in idolum FE*, quod incolæ peninsulæ Coreæ, quæ Japonibus & Chinensibus Chaosien (p) dicitur, quoque adorant, *efformatus* est. *Decussatis sedet pedibus, manus sibi invicem superimpositas in sinu complicat. Oculi, aures, nares ac os ad duo milliaria conspiciuntur*. Accolæ & vicini adorant montes *Quangliu* & *Ivenxui* (q) sitos in tractu Nankang, provinciæ Kiangsi. Eremitæ habitant ibi in casulis, mortificationi, quæ dicitur, vacantes. *Atlantem*, quem *Tomcon Langit*, à *Langit, cælum*, & *Tomcon, columna*, vocat, *Philippinorum* secta (r) religiosô honore prosequitur. Terram nutricem omnium rerum *Nigritæ maritimi* (s) alicubi pari cultu venerantur. In hanc despuere ipsis piaculum. *Conganorum* (t) aliqui eam itidem adorant. *Guineæ* populis Montes sacri sunt. Cacumina, (aut Sacerdotes potiùs seu Fetisseros eorum, quos vocant,) quotidiè cibo & potu curant (u).

Iter

(i) *Michovv l. 2. tr. 2. c. 1. Olaus M. de gentib. septentrion. III, 1.* (k) *de Idol. I, 39. p. 283.* (l) *Adam Clemens in Anglor. navig. ad Philipp. Angliæ t. t. regem, & Hispaniæ principem.* Roß p. 294. (m) *Paul. Oderborn. in vitâ Jo. Basilid l. I. p. 13.* (n) *Ortel. p. 99.* (o) *Artif. & Mirand. Sin. c. 13. p. 276. Neuhof. Itin. c. 8. p. 317.* (p) *Neuhof. describt. Sin. c. 18. p. 403.* (q) *Neuhof p. 107.* (r) *Kirch. T. 1. Oed. Æg. s. 5. c. 4. p. 413.* (s) *C. Barlæus. p. 62.* (t) *Lind. p. 1151.* (u) Roß p. 190.

Iter facientes adſcendunt priùs, & donaria offerunt (x). *Peruanis* Terra *Pachamama* (y) dicebatur. Eam, unà cum montibus (z) coluere. *Caxamalcani* in *Naſcâ* (a) Montem arenaceum, quod in medio rupium enatus esſet, venerabantur. Fide Hiſpanicâ hæc refero, quàm ſubleſta verò ſit, ex Ynca Garcilasſo Peruviano ſupra audivimus.

§. XXXIV. Ad miſta, ſed imperfectè, primùm digredimur corpora, aut potiùs impresſiones eorum. *Iridem* coluiſſe *Peruanos*, rumor eſt. Ingæ (b) utrinque ſerpente cinctam, Inſignium vicem geſtabant. Nam his quoque, ſicuti Ægyptiis, Phœnicibus & Græcis Divinitatis Symbolum (c) fuere ſerpentes. *Tonitrua* & fulgura valdè extimeſcunt *Guinenſes*, atque hiſce præcipuè ad cœleſtis numinis exiſtentiam credendam (d) moventur. Ab Joſepho Acoſtâ proditum eſt, *Ingas* Peru dominos, poſt Viracocham ſupremum numen, tùm Solem colere, tùm Tonitru: ac Tonitru quidem triplici nomine appellare; *Chuquiilla*, *Catuilla*, & *Intiillapa*. (*Indiillapa*, Laeto (e) teſte, idolum aureum eſt auſpiciis Pachacuti Inga Yupangi V. fabricatum, quod in aureà ſellà circumferebant.) Ait quoque, *effingi* hoc numen ab iis *figurâ hominis cum fundâ aut clavà: manu præterea continere pluvias, grandinem, tonitru, & alia hujusmodi*: eſſeque guaca ſive cultum hunc omnibus communem, varieque ipſi ſacrificari: imò in Cuſco etiam ei, quemadmodum Soli, pueros immolari. *Sed ſi*, ſubjicit Voſſius (f), *ut Acoſta ait, formâ eum effinxere humanâ, quali ſanè Tonitru non eſt: ſi præterea non Tonitru modò, ſed alia etiam meteora manu continebat, in dubium vocari poteſt, annon potiùs creditum hoc numen ſit ſecundarium duntaxat, ac miniſter: ut cui Viracocha commiſerit poteſtatem aëris. Ac hujus etiam poteſtatis ſymbo-*

(x) *Levin. Hulſ.* P. 7. *Navigg.* c. 20. (y) *Acoſt.* V, 4. *Gottfr. Hiſt. Antip.* P. I. p. 30. (z) *Acoſt.* ib. c. 2. *Gottfr.* ib. p. 31. (a) *Gottfr.* ib. (b) *Id. Hiſt. Antip.* P. I. p. 30. (c) *Voſſ de idololatr.* III, 13. p. 790. ex *Acoſta*. (d) *Varen. de diverſ.* Relig. p. 304. (e) XI, 13. p. 471. (f) *l.* 6, c. 8. p. 768.

lum fuerit funda, aut clava. Ita non tam ipſum Tonitru iis fuerit numen, quàm Tonans, ſive is Jupiter, h. e. ſidus Joviale, vel Aër: ſive genius aliquis, naturæ aëris præfectus. Hucusq; Viri nunquam ſatis laudandi judicium. Peruanorum fortè traditione (g) roborari poſſet, credentium, *Virum* eſſe *Tonitru in Cœlo ſtantem, armatum fundâ, cujus in poteſtate ſint pluviæ, grandines, fulgura & tonitrua, quæ ad nutum cuncta moderaretur.* Dubio plane nos abſolvit Garcilaſſus (h), qui ſanctè affirmat, populares ſuos Fulmini Fulgurive aut Tonitru nullum impendiſſe cultum divinum. Impenderunt tamen hunc honorem Tonitru atque Fulmini *Virginenſes* (i) meticuloſi, ut qui omnia, à quibus inevitabili damno mactari poterant, formidarunt. *Chilenſium* ritus Barlæi (k) verbis deſcribemus. *Chilenſes*, inquît, *Dei creatoris, cultusq; divini, ut & immortalitatis animæ neſcii, ſacros præ profanis dies non habent. Aliqua tamen numinis aut dæmonii opinione tangi videntur, cùm Pilanum ſuum, ut Spiritum aëreum, colant. maximè, cùm alienatâ potu mente & veluti furore percitâ, carmina illi hymnosq; recitant. Quoties Tonitrua pavidis mentibus terrorem incutiunt, hæc ipſa in hoſtium verti perniciem rogant, & tabaci fumum ore naribusque efflantes Pilanum ingeminant, veluti ſuffitibus iſtis ſacra facientes. Cor proſtrati hoſtis exemtum morſu ſanguinolento dilacerant, invocato Pillani nomine, cui, utpote numini, genioq;, tali victimâ litant.* Et poſt aliquot pagellas (l): *Tonitru pro numine habent, hoc Pilanum indigetant.* Audito eo, ut hoc ex Lucâ de Lindâ (m) addamus, ad arma concurrunt: credunt enim, quod Tonitru illos moneat, hoſtes ſuos Hiſpanos jam adeſſe. Eo etiam tempore ſagittam ſumunt, aut ſecurim lapideam inſtar cunei, terræque infigunt; ubi circumſtantes truces emittunt voces, orantes, ut Pillan hoſtes ipſorum perdat. *Braſilienſes* (n) nu-

(g) *Hiſt. Antip. P*, I. *p.* 30. (h) *Laet. X*, 1. *p.* 398. (i) *Id.* III, 18. *p.* 84. *Lind. p.* 1120. (k) *p.* 269. *ſeq.* (l) *p.* 272. (m) *p.* 1134. *ex G. Marggrav.* (n) *Barlæ. p.* 22.

numina nulla, deos nullos colunt, nisi Tonitrua fortè aut fulmina, quorum magna animos incessit veneratio. *TUPAN* vocant (o) Tonitru & fulgur. Illi se ligones atque agriculturæ scientiam debere profitentur, atque ideo pro numine aliquo agnoscunt.

§. XXXV. In perfectè mistis primo loco Lapides, metalla & mineralia occurrunt. *Manta* Peruviæ oppidum est. Reguli ejus loci *Smaragdum* possidebant eximii fulgoris & inenarrabilis precii, gallinæ ovum (p) magnitudine æquabat. Hunc instar præcipui numinis (q) colebant. In oppido *S. Jago* (r) *de Guiaquil* (flumen est hujus nominis, quod insulam Punam efficit.) Hispani ingentes itidem invenerunt Smaragdos, quos Indi adoraverant. Præcipua insania est, quod viles quoque lapides in veneratione sint. In Cuhiung, propè Nangam Sinensium civitatem, Lapis (s) est 10. perticas altus, *Xinxe* dictus, i. e. *Spiritualis Lapis*, qui totus quotannis auro obruitur & adoratur. Cultus tempore Imperatorum (t) de prosapiâ Mung cœpit. Apud urbem Cioking, in monte Xepav (u) magna columna è lapide reperitur & imago idoli Fe, ut & elephanti, leonis item & diaboli. Color omnium varius. *Cassamalcani* (x) in Deorum suorum numero habebant *rotundos* quosdam *lapides*, ovali formâ, aliosque multo majores. In civitate regum *Æs* (y) devenerabantur. Ad salutis suæ perniciem *Aurum* colligunt *Cerabaroi*, (portûs magni Cerabarò in Americâ meridionali populi,) quique jacent medii ad Hiebram usque Beraguam. Non nisi certis anni temporibus ipsi quæritando intendunt. Numen inesse Auro (z) credunt. Iccircò ex priscorum religione ad id negocii minimè tendunt inexpiati. A Venere & omni oblectamento abstinent, cibisque ac potu parcissimè utuntur, uni-

(o) *Laet. XV, 2. p. 5. 34.* (p) *Benzo l. 3. c. 18.* (q) *Laet. X, 11. p. 415.* (r) *Huls. P. 6. p. 46.* (s) *Artif. & Mirand. Sin. c. 13. p. 267.* (t) *Neuhof in Describt. Sin. c. 8. p. 317.* (u) *Id. ib.* (x) *Archontol. Cosm.* (y) *Hist. Antip. P. I p. 31.* (z) *P. Martyr dec. 3. l. 4. p. 250.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

universo legendi tempore. *Animæ* expertia animâ præditis adeò imposuere: de rebus animatis quæ non speranda fallacia? Ex vegetabilium numero pauca præstò sunt. Olim arbores numinum templa fuere. Luci & in iis silentia ipsa adorata. Prisco ritu simplicia rura Deo præcellentem arborem dicarunt. *Alozza* Arabum, adeoque Koreischitarum Medinæ idolum, *arbor* (a) erat *Gatifbæorum*, quam Chalidus ben Walid à Propheta (si Christo placet!) Muhammede missus, confregit. Ex radice sive trunco ejus egressam esse mulierem, quam crines suos super terram trahentem ille occiderit, fabulatur Beidavi p. 870. Nescio quod stupiditatis hujus vestigium in *mancipiis Livonum* circa A. 1635. observavit adhuc Nobilissimus Olearius (b). Diversis in locis, in collibus præsertim, certas arbores seligunt, quas ramis ad cacumen usque spoliant, & tæniis rubeis circumligant. Sub his vota sua superstitiosa & preces peragunt, quibus facultatum suarum conservationem & augmentum, suamq; & suorum salutem temporariam exposcunt. In *Guineâ* (c) Arborum cultus durare dicitur. Maximam in iis fiduciam collocant, ad eas sese, tanquam ad fatidicas Dodonæ quercus, futurorum anxii conferunt. Respondet dæmon invisibilis, aut etiam canis nigri forma adsumta. Memorabile est, quòd emporii Mourre cives (d) A. 1598. Batavos, cùm pridie Kalendas Maji arbores ornandis navibus cæderent, lapidibus & jaculis tanto impetu incesserint, ut Hollandus etiam in conflictu interimeretur. Eadem Numina esse *Nigritis, de Rio Gabon, & Capo Lopo Consalves*, (e) nonnulli judicant. Diversum sentit Varenius. *Etsi*, scribit (f), *quidam Guineæ & meridionalis in Africà lateris, Angolæ & Congi populos, sine ullo Deo vivere existiment, Solem atque Lunam venerari putent, (quod de quibusdam tantùm verum est,) magis stultâ ignorantiâ*

(a) *Hott. H. O. I, 7. p. 154.* (b) *Itin. Pers. II, c. 9. p. 109.* (c) *Hulf. P. 7. Navig. c. 20.* (d) *ib. c. 23.* (e) *ib. c. 57.* Roß *p. 189.* (f) *de divers. Rel. p. 304.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

tiâ arbores atque animalia ab iis coli scribserint; *tamen illa, quæ annotata sunt ab iis, qui multis annis cum hâc gente conversati sunt, non assentiuntur de omnibus*. Quòd *Peruviani* Arbores adorarint, Acosta (g) testis est. In civitate regum (h) annosam quandam arborem, radices, terræque fructus colebant. Sed fortè id de vulgo veriùs, quàm de prudentioribus credideris. Ægyptii porrum & cæpe dicuntur invocasse: qui tantum ea, ut Deorum symbola (i) sunt venerati. Apertiùs Varenius: *Ego*, infit (k), *nunquam potui fidem adhibere narrationi huic, neque existimo, dari gentem eâ judicii imbecillitate, ut animalia plantasque adorent. Brasilianis*, qui *Tubbin Inbæ* (l) vocantur, Dei loco erat fructus cucurbitæ similis, magnitudine struthionis ovum æquans. Excavatum baculo transfigunt, foramine parvo instar osculi insigniunt, & lapillos indunt, qui sonitum ut in crepitaculo excitant. Nomen ei *Tammaraka*. Quisque virùm peculiarem possidet. *Guineæ* præterea habitatores *annulos stramineos* (m) adorant, quibus alendis triticum ingerunt, aquam & oleum, eosque pentaculorum loco gestant.

§. XXXVI. *Animalium* lustra modò lustrare animus est. Adorarunt bruta, ipsi magis bruta, homines. *Jentives* natio sunt oræ *Coromandel*: qui in *Vulturem*, avem illam rapacem (n) credunt. Nigritæ *Guineenses* inter volatilia certum adorant alitem, cujus pennæ stellas, vox taurum refert (o). *Onocrotalus* (p) is est, quem Belgæ Pittoir, nos eine Rohrdommel dicimus. Avium quoddam genus, aquilis haut absimile, ibi locorum etiam frequens est. Capite gallopavum refert, ferox atque malignum Æthiopum damno natum. Hinc formidabile ipsis Placamenta sunt multa cibaria, quæ in montes portant & obsipant Vocant Alites hos

Q Pa-

(g) *l. 5 c. 2.* (h) *Gottfr. Hist. Antip P. I. p. 3.* (i) *Dionys. Voss. ad Maim. de Idol. c. 8. § 6 p. 111.* (k) *de divers. Relig p. 234.* (l) *Joh. St. de c. 22.* (m) Roß *p. 188.* (n) *Jo. Jac.* Saar *p. 144.* (o) Roß *p 189.* (p) *Hulf. P. 7. c. 20.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Pastro de Diago, i. e. *Aves Dei sui.* Sedulò cavent, ne quempiam earum lædant, probè gnari, ultrices esse harpyias. Nidulantur plerumque in cœno, adeoque fœtent, ut olor earum deprocul nares oppleat (q). Afris in regno *Benin* (r) pari ratione terrori sunt, easque adeo timent, ut neminem volucribus istis noxam inferre patiantur. Certi quoque homines summâ cum reverentiâ cibum ipsis apportant. *Mexicani vespertilionem* (s) adorarunt. *Chiapa* in *Guatimalâ* provinciæ indigenis (t) in summâ olim veneratione habita est (ita ut illam occidere, capitale esset,) *Totoquestal* avis, palumbe paulò minor, plumis instar heliotropii virentibus, caudâ oblongâ: hujus plumis in principalibus festis se ornabant. Inter Aquatilia *Tonyn* piscis (u) sacer est *Guineensibus*, adeò ut attingere eum nefas sit. Non capiunt eum, sed liberum dimittunt, *Deum* suum *marinum* sive *Fetisso* putantes (x). *Xiphias* (di Schwertfische) capiunt quidem, sed gladium amputant, arefaciunt, magnique instar sacri asservant (y). Non ergò de nihilo est, quod Crassus vir Censorius (z) gloriatus est, se piam affectuosamque rem fecisse, quòd murænam in piscinâ domûs suæ mortuam, atratus tanquam filiam luxit: cùm & *littorales Peruani*, (a) ante Ingarum imperium, *Balænam* aliosque pisces adorarint, quoniam ipsis non tantùm nutrimentum præbebant; sed & agros fœcundabant. Gressilium plurimæ sunt species, cultores plurimi. Qui in regione *Malabar* (b) degunt, vulgò censent, brutis divinitatem aliquam inesse, nominatim verò *Elephantis.* Id cum *Braminis in Narsinga* (c) commune habent, qui in istos, simias item, tauros & vaccas, animas defunctorum transferri putant. *Peguani* (d) Barris sanctitatem

(q) *Ib. c.* 37. (r) *ib. c.* 55. (s) *Paul. Grysald. l.* 3. *Hist. Ind. cit. Voss. de* Idololatr. III, 100. *p.* 1272. (t) *Laet.* VII, 4. *p.* 324. (u) Roß *p.* 189. (x) Joh. *Verck. P.* 1. *Navig. p.* 13. *Hulf.* P. 7. *Hist. c.* 20. (y) *Id. ibid.* (z) *Macrob. Saturn.* III, 15. (a) *Laet. X,* 19. *p.* 426. (b) Roß *p.* 163. (c) *Archontol. Cosm. l.* 2. *p.* 709. (d) *Varen. in describt. regni Siam* p. 258.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

item tribuunt, & quòd duos Elephantos candidos (cujus coloris in unico regno Siam capiuntur interdum, & tanquam reges elephantorum, majori cum faſtu, ac Caligulæ Equus Incitatus, Conſul(e) deſtinatus, curantur,) Siamenſium Rex ipſis vendere noluerat, bellum (f) ei intulerunt. Par ſuſpicio *Siamenſibus* (g) tribuitur *Zeilani* (h) capitis elephantini imaginem ſapientiæ conſequendæ ergò deprecantur, cujus intuitu non incongruâ transnominatione Inſulanorum novam Palladem cognominaveris. Invenio in numiſmate Rarithecii Gerhardini, *Elephantum noctuæ Athenienſium, lecytho quæ inſiſtit, adjunctum*, cum hac inſcribtione:

Α | ΘΕ
ΑΝΤ | ΟΧΟΣ
ΚΑΡΑ
ΙΧΟΣ
ΣΚΥ
ΙΝΟ
Σ
ΜΕ

Cuncta laureæ incluſa. Ex altera parte *facies galeata* cernitur. Explicationem antiquariis relinquo. In quibusdam *Americæ* locis *Leones*, & cætera ferocia animalia (*Urſi*, *Tigres* &c. nè lædant (i)) adorantur, eorumque imagines (k) in Fanis, quæ adyta referunt Ægyptiorum, aſſervantur. *Tigres* in provinciâ Guatimalæ *Verapaz* (l) tantoperè metuebant, ut ſe coram illis proſternerent, & numinis loco venerarentur. Nam & hic, perque totam *Novam Hiſpaniam* conſtans fama eſt, Diabolum ſuperioribus ſeculis forma hujus animalis ſe Barbaris oſtentare conſueviſſe, undè veneratio orta. Jam verò Indi ad Chriſtum converſi, miſſo timore ſagittis eos confodiunt. *Peruanos* (m) quoque, ne detrimenti aliquid ab iis acciperent, ſimiliter feciſſe, ferunt. *Equis* conſpectis *Virginienſes* (n) religiosè ſeſe ſubmiſerunt. *Boum* maximè cultus plurimos faſcinavit. De-

(e) *Sueton. in Vitâ Caligulæ c.* 55. (f) *Varen. l. c. p.* 274. *ex Gottfr. Artuſ.* (g) *ib. p.* 258. *ſeq. ex Jodoc. Schouten.* (h) Roß *p.* 174. (i) *Gottfr. Hiſt. Antip. P. I. p.* 31. (k) *Kirch. T. I. ſ.* 5. *c.* 5. *p.* 422. (l) *Laet. VII.* 7. *p.* 329. (m) *V. Archont. Coſm.* (n) *Laet. III,* 18. *p.* 84. *Lind. p.* 1120.

cantatissimus est APIS (o) Ægyptiorum, Bos Memphiticus, Lunæ dedicatus. MNEUIS alter, Soli sacer Heliopolitanus, qui in septo quodam nutriebatur. Israëlitarum Μοσχολατρείαν (p) inde originem trahere, in propatulo est. Nondum exolevit. *Cathainorum* (q) nonnullos, Boves adorare, traditum est. Asseritur etiam de *Japonibus* (r). Vilela p. 47. ita: *Diabolus magnoperè satagit, quò brutorum animantium specie vulgò adoretur, atque ut boves colant, hominem occupat: percontantibus nomen, respondet, se regem esse boum: rogatus, ut abeat, negat, se ex homine discessurum, nisi templum sibi exædificaturos esse recipiant. Si pollicentur, abscedit; si promissa non fecerint, rursus revertitur, oppressumq; hominem variis cruciatibus torquet, quousque phanum ædificent, in quo varias belluarum figuras pro numine venerantur, capitali etiam alicubi propositâ pœnâ, si quis bovem occiderit* (s). *Interdum etiam venatores, si quam feram interemerint, suis veneficiis in morbum inducit; itaque ejus rei metu feras pro dæmone suppliciter colunt.* Sed expresè Xaverius p. 191. observante Varenio l. c. (t) scribit: *Animantium specie Deos nullos venerantur* (Japonii.) Nec Caronius quicquam de eo annotavit. quod certè, si ita res se haberet, non omisisset, cùm tot annorum spacio, quibus ibi vixit, non potuerit illum hoc latere. In *Indiâ* tamen Apidis præprimis cultus, in figurâ vaccæ, sive bovis cornuti viget, quem nullis non in templis, porticibus ac viis (u) reperias. Inde est, quòd *Guzeratenses* (x) à bubula omnino abstinent, bovemque occidere nefas putant. Volaterrani (y) tempore puer Indus in domo Cardinalis Olyxiponensis fuit, ex eâ regione advectus. Hic adeo obstinatus fuit superstitione, ut nullo modo abduci quiverit. De *Maliaporis* civibus Vene-

tus

(o) *Plin. H. N. VII, 46. Conf. Dionys. Voss ad Maim. p. 116. Kirch. T. 1. Oed. s. 3. c. 5. p. 199 seqq. Leonard. Marius Proleg. in Levit. n. 64. p. 686.* (p) *V. Dn. Dilherr. T. 1. disp. 7. ad Exod. 32, 4. p. 121. seqq.* (q) *Boëm. II, 8. p. 93. ex Aitono Armen.* (r) *Kirch. T. 1. Oed. Æg. s. 5. c. 3. p. 409.* (s) *Varen. de Relig. Jap. c. 1. p. 27. Conf. c. 23. de regn. Japon. p. 158* (t) *p. 28.* (u) *Kirch. T. 1. Oed. Æg. s. 5. c. 4. p. 412.* (x) *Mich. Herr Novi orb. c. 140. ex P. Aliare Lusit. Venet. III, 35. & 36.* (y) *l. 12. f. 126. b.*

tus (z) affirmat, quòd Boum cultores quando expeditionem suscipiunt, deferant secum Bovis silvestris pilos, alligentq; eos setis equorum suorum, quibus vehuntur: pedites vero scuta sua & crines pilis istis vinciunt, credentes, se hoc modo in acie tutos esse, persuasissimum habentes, Bovem ferum magnæ esse sanctitatis. Tractus quoque *Malabar* hoc errore nobilis est. Divinitatem planè jumento inesse (a) arbitrantur. Ab Indis, qui *Cuchin* (b) regnum incolunt, Bos peculiari cultu pro Deo habetur, & nuncupatur *Tambaran.* Disseminatus hic mos est in plerasque *Bengala* vicinas insulas. Multi habitatorum regni *Var* (c) adorant Bovem, ut rem sanctam, nec ullum occidunt; mortui sebo domos suos perungunt. In provincia *Laë* (d) *Abrajamines* habitant, populus mendaciorum & furtorum osor, abstemius, à carnibus abstinens, nudus, ut qui peccatorum immunem se credat. Boves hic ipse adorat, magnâque cum reverentiâ unguento sese perungunt, quod ex ossibus bubulis contritis eliquârunt. *Benjanes* in *Mogorum* regno (e) non permittunt, ut bos mactetur. Unde peregrinantes noctu clam illis animal jugulant, tergusque cum intestinis defodiunt, nè rescíscant. Quibus rebus fit, ut vero maximè consentaneus sit relatus Ludovici Sachini, mercatoris Avenionensis, qui Kirchero (f) fidem fecit, in *Indiâ septemtrionali*, eo in loco, ubi collimitat cum Bengalâ, in viâ regiâ *ingentem Bovem erectum esse, cujus oculorum cavitatibus duo prægrandes carbunculi seu rubini inditi, idolum mirum in modum radiare faciunt*: neminem prætereâ iter suum auspicari, quin priùs hoc idolum vaccinum certis sacrificiis placaverit. *Javanis* quoque usitatam Boum culturam, & Vartomanni (g) relatio, & Benjanum secta ibi degens (h) probabilem reddit. Cui bono *Madagascaris* insulæ antistites (i) pedum bovis caudâ dimidiâ ornent, nobis divinare non licet. *Caprarum* effigie, (k) in *Pe-*

(z) *l. 3. H. O. c. 28.* (a) Roß *p. 163.* (b) *Scalig. Exerc. 208. s. 1. p. m. 794.* (c) *Venet. III, 27.* (d) *Id. ib. c. 30. Kirch. T. 1. s. 5. c. 4. p. 413.* (e) *Jo. Jac.* Saar *p. 94.* (f) *T. 1. Oed. Æg. s. 5. c. 4. p. 413.* (g) *l. 6. c. 28.* (h) *Mandelslo l. 3. p. 211.* (i) *Id. l. 2. c. 19. p. 175.* (k) *Arch. Cosm. l. 1. p. 267.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

ruanorum templo duo idola colebantur, & accenso ligno quodam odorato placabantur. *Cervos*, præter alias vivas bestias, puta pisces, gallinas, lupos, canes, *Japonii* (l) venerari scribuntur: quo verò cum consensu, Xaverii modò adducta contradictio, & Caronii silentium (m) satis declarant. *Ursorum* simulacra *Jucatanenses* (n) in domibus suis, tanquam Penates quosdam, cantilenis & thure venerabantur. In insulâ *Cozumellâ* (hodiè S. Crucis,) cameras in turre reguli reperere Hispani, statuis tùm marmoreis, tùm fictilibus ursorum simulacris instructas, quos unisono cantu elato invocabant, suavibus adolebant odoribus, uti Lares eos colebant (o). Vivos lanienæ metu *Peruani* honore prosequebantur, si Archontologiæ Cosmicæ fidem adhibere licet. *Vulpem Cuscanos* magno affectu in Guacâ suâ coluisse, refert eadem. *Simiæ Calicutii* (p) splendidum Templum 700. columnis ornatum, erexerunt. Fanum pulcerrimum Simiæ dicatum Maffæus quoque in I. Hist. Indic. commemorat. Dens Simiæ in cistulâ auro gemmisque insigni adservabatur in templo, quod *Ceilonenses* in vertice Pico d'Adam, sive montis Adami exstruxerant. Eum Lusitani An. 1554. captâ insulâ abstulerant. Eapropter magno dolore afficiebantur Reguli ejus loci. Offerebant per Legatos pro putri illo dente septingenta ducatorum millia. Et acceptassent precium Lusitani, nisi Gasparus Episcopus eorum docuisset, nefariè hoc pacto horrendam Indorum foveri idololatriam. Crematus igitur dens, & cineres in fluctus marinos projecti (q). *Cercopithecos* in *Indiâ* etiam *Orientali* coli, Balbus in Itinerario suo Italico colligit. Reperit enim in itinere suo à Meczo ad Pegu inter idola, quæ *Pagodi* Indis vocantur, multa Cercopithecorum simulacra: ac circa Templa, quæ iisdem *Varrelle* nuncupantur, alligatos Cercopithecos. Divini honoris meritum, artuum cum humanis competentia. Et hic Quadrupedum fuit cultus: qui sequitur, est Reptilium. In *Serpentibus* sanè divinitatem adfectavit Sata-

(l) *Almeida p. 168. in Ep. Ind. Venetus: Lud. Fröes in Ep. Japon.* 1565. *Kirch. T. 1. Oed. Æg. s. 5. c. 3. p. 409. Lind. p. 1137. seq.* (m) *Varen. de Relig. Jap. c. 1. p* 27. (n) Roß *p. 215.* (o) *Martyr de Ins. nuper invent. p.* 334. (p) Roß *p. 163.* (q) *Voss. de idol. III, 75. p. 1137. ex Joh. Hug. Linschotano.*

Satanas. Hoc habitu humani generis parentem decepit. Hunc in profanis suis cultibus subinde adhibuit. Hinc anguis sacrosanctus ac salutis indicium habitus est, hinc numis incusus. Circumfertur *Gordiani numus* (r) quidam, qui oppositâ Imperatoris imagini, parte *idolum* habet *seminudum, ab lævo humero vestibus ad imum usque calcaneum demissis. Stat illud sinistrâ cincturæ applicatâ, à dextris verò serpens Epidaurius ex aquis emergit, ac per virgam illi obtentam flexuoso gressu subrepit. Literæ limbum coronant: SALUS AUGUSTI.* A Serpentum veneratione circa finem superioris seculi nondum abstinuere *Lituani* & *Samogitæ* (s). Pro laribus tutelaribus in ædibus hi (t) aluere. Scaliger (u) refert, in provinciâ *Calecuto* maximam vim esse serpentum, vastissimo capite, porci maximi magnitudine, quos rex pro numine colat. Hausit hæc illustris Vir ex Ludovico Vartomanno suo, quem equidem virum divinum ac Deo charum semper existimavit (x). Hunc enim in modum ille disserit l. 5. c. 22. Calecuthi serpentes in maximorum porcorum magnitudinem evadunt, majoraque eorum sunt capita, quàm verrium: quadrupedes sunt, longitudine quatuor cubitos æquant: morantur in palustribus. Incolis veneno carere creduntur, quòd homini non nisi morsu noceant. Maxima eorum vis ibi alitur. Rex enim Calecuti, qui eos deperit, ut *Spiritus cælo descendentes,* quòd unico ictu hominem occidant, casulas ipsis procurat, ne pluviæ & eluviones istis creent molestiam. Interfector capite luit. Obvius in itinere Serpens felicitatem portendere creditur. Pari credulitate Rusi laborant. Biga serpentum discolorum ancoræ ope aliquando illabebatur navi, in quâ Legati Principis Holsatiæ vehebantur. Tum verò lætari remiges, clamare, admittendos esse serpentes, servandos, cibandos; bonos esse nuncios, S. Nicolaum ventos secundos missurum, qui remigandi labore eos absolverent (y). Nec fefellit divinatio (z). Inter *Mauros* esse, qui Serpentes Deos putent, David Æthiopum Imp. conqueritur. (a) In *Culuacan* (b) *Novæ Galaciæ* provinciâ, venera-

(r) *Stephan. Zamos. in Analectis Daciæ Antiq. c. 12. p. 45.* (s) *Joh. Meletius ep. ad G. Sabinum A. 1582.* (t) *Steph. Zamos. l. c.* (u) *Comm. in l. 2. Arist. H. A. c. 18. f. 123. Exerc. 183. f. 2. p. m. 601.* (x) *Exerc. 131. f. 1. p. m. 448.* (y) *Olear. IV, 7.* (z) *ib. c. 8.* (a) *Damian. à Goës. Ross. p. 191.* (b) *Laet. V, 5. p. 284. seq.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

nerabantur in domiciliorum angulis atque adytis maximè Serpentes, peregrinum in modum conglobatos, capitibus suprà & infrà exsertis, terribili rictu, si quis propiùs accesisset, cæterum innocuos, quòd Diabolus ipsis hâc formâ apparere consuesset: eosdem tamen & manibus contrectabant, & nonnunquam iis vescebantur. *Peruanis* quoque non tam admirationi, quàm venerationi (c) fuisse, memoriæ proditum est. Ne irati nudos læderent, domi (d) alebantur. *Lacertæ* seu *Stellioni* in *Japoniâ* (e) dicatum est templum, duobus circiter millibus passuum à Meaco, probandis & laureâ donandis, veteri Academiarum more, Scholasticis destinatum. Hunc vulgò Deum & præsidem literarum & eruditionis existimant: huic nulla neque ara, neque statua, ut cæteris Diis, erigitur: in summo tantùm laqueari multiplicem convolutus in spiram ingenti orbiculari depingitur formâ, ut scholastici, dum eum supplices venerantur, oculos mentemque simul ad superna cogantur attollere. Verè de mystis istis usurpes illud Orphei (f):

Ἴκελοι θήρεσσιν ἀίδριες. ——

In quo gradu verò *Kirgessos* collocabimus? Bruta brutales homines coluere: à brutorum sordibus sordidissimi mortalium non abstinuere. Tatarorum gens quædam est, catervatim h. e. in hordis degit. Cùm sacerdos eorum rem divinam facit, *sanguinem, lac & fimum jumentorum* (g) *terra mistum*, inq; vas infusum, ex arbore, concione habitâ in populum spargit, atque *hæc aspersio pro Deo habetur* atque colitur. *Stercutio* (seu *Sterculio* (h)) Fauni filio Italia immortalitatem tribuit. Caussa, inventum fimo agros lætificandi (i). Optimo jure impostor & seductor humani generis Matth. XII, 24. Luc. XI, 15. dicitur Βεελζεβούλ, *Dominus stercoris*. quam voculam quidem retinent versiones: Ægyptiaca (k) ⲂⲈⲖⲌⲈⲂⲨⲖ: Æthiopica. በዓል፡ዘቡል፡ *Beel Zebul*; Ara-

(c) *Arch. Cosm. l. I. p.* 267. (d) *Hist. Antip. P.* 1. *p.* 31. (e) *Varen. c.* 25. *de Regno Jap. p.* 175. (f) *de Lapid. v.* 75. (g) *Ortel. p.* 99. *Alex. Gagvinus in Sarmat. Europ.* (h) *Macrob. l. Saturn.* 7. *p. m.* 161. (i) *Plin. XVII*, 9. (k) *Conf. Glass. p. m.* 937. *Cappell. Append. ad Crit. S. p.* 457 483. 503. *Lorin. in Lev.* 21, 4. *p.* 667.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Arabica, ex editione tùm Erpenii, tum Anglorum, باعل زبول *Baali Sebula*, Hiſpanica, *Beelzebul*, Polonica, **Beelzebulá**. Syrus verò reſpiciens ad Accaronitarum idolum, 2. Reg. I, 2. vertit ܒܥܠܙܒܘܒ *Beel zebub* : eum quo etiam faciunt interpretes reliqui. Nam Hebræus itidem legit בַּעַל זְבוּב, Perſa بعل زبوب, Italus & Gallus, *Beelzebub*; Anglus & Danus **Beelzebub**. Bohemus **Belzebubem**. Non vacat jam, diverſas auctorum hîc accumulare ſententias. Videri poſſunt, quæ Rever. maximè atq; Excell. Dn. Præſes congesſit in Analectis ad Matthæi l. c. (l) ubi inter alia etiam meminit *antiquisſimæ Phænicum monetæ*, quam, ne deſcribere neceſſe ſit, expreſſam cupido Lectori apponimus.



Interim tamen mirari ſatis non poſſumus, quid Kirchero in ſolum, quod dicitur, venerit, ut in Oedipo ſuo Ægyptiaco, ubi (m) lectionum discrepantiam enarrat, hæc verba effuderit: *Alii verò h. l. pro Beelzebub vertunt Beelzebul; quemadmodum è GRÆCO* (l. Græcâ) *LXX. INTERPRETUM VERSIONE, QUAM ARABICA, COPTA ſ. Ægyptia, AETHIOPICA ſ. Abysſina, aliæq́; SEQUUNTUR*: quas etiam (n) præmiſsâ Græcâ (atqui hæc Evangeliſtarum ſcribtura θεόπνευστος;) apponit. Ubi manifeſtum memoriæ lapſum moroſiùs exagitare nolumus, quaſi LXX. Interpretes Novum quoque Teſtamentum origine Græcum, in Græcam linguam transtulerint, cùm tum nondum perſcribtum eſſet: illud ſaltem monemus, Jeſuitam nullo prætextu elabi poſſe. Si enim provocare velit ad LXX. viralem verſionem V. T. 2. Reg. I, 2. in eâ neque Βεελζεβοὺλ, neque Βεελζεβοὺβ, deprehenditur. Ipſe paginâ ſubſequenti 274. ſcribit; eos cum Joſepho legere, θεὸν μυῖαν. Quamvis nè ſic quidem Angli, editionem Romanam, juxta exemplum Vaticanum, ſecuti exprimant: ſed βάαλ μυῖαν. Codex Alexandrinus nudè: ἐν τῇ βααλ. Ad hæc Nobili-

(l) *p. 627. ſeq.* (m) *T. 1. ſ. 4. c. 6. p. 271.* (n) *p. 272.*

bilius Flaminius variantem hanc lectionem non annotavit: neque in Veneta aut Complutensi tale quid occurrit. Jonathan Ebræum vocabulum retinet: Syrus itidem ܒܥܠܙܒܘܒ *Beeldsebub*, Arabs باعل زبوب *Baela Sabuba*. Deinde etiam edoceri cupimus, quâ authoritate Æthiopicum: በበዓለ፡ዘቡል፡ transtulerit, IN DEO STERCORIS: cùm sit ipsissimum *Beel Zebul*, & זֶבֶל vel זְבַל Chaldæis equidem Syris, Talmudicis & Arabibus, *stercus* significet, nequaquam verò Æthiopibus. His enim ዘበል፡ *omne instrumentum* est, *s. ferreum s. æneum* (o). Eleganter Targum 2. Reg. 9. 38. ותהי נבילתא דאיזבל כזבל על אפי חקלא ubi notante Buxtorfio (p) est *allusio* (mendose in Edd. novissimis, abusio,) *ad nomen Isebelis, à stercore deductum*. Fortè hæc etymologia Rabbinorum est. Vix enim hic Ebræorum Phœnix eam amplecti posse videtur, cùm nondum certum sit, Sidoniorum linguam eandem fuisse cum Chaldæâ. Mallem cum Vinariensibus interpretari, **eine bewohnte Insel**/ut ita Hebraicam originationem agnosceret. Quis enim credat filiam regis obscœno nomine sordidatam fuisse illudq; retinere voluisse. Sanè in literaturâ Biblicâ זבר significatione Chaldæis usitatâ non occurrit. Lexicon Ebræum Mscrum antiquum, charactere rabbinico exaratum, in Bibliothecâ Gerhardina, vertit: זבל : הערבערג **herberg.** Forte *regionem cœli* hoc reginæ nomen notare posset. Demum forti quoque phantasiâ opus erit, ut nobis imaginemur, quod Kircherus pariter. l. c. p. 272. notat: *appellationem Beelzebul à Christianis Orientalibus, (qui Arabicâ linguâ passim usi fuerint,) PRIMO, in ignominiam idololatriæ excogitatam, EVANGELIOQUE eandem ob caussam INSERTAM esse: quòd hoc nomen Beelzebul nullibi, nisi in novo instrumento*

(o) *Conf. Dn. Ludolfi Lex. p. 359. Hotting. Lex. Harm. p. m. 95.*
(p) *Lex. min. p. m. 886. V. Rabb. p. 641.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

mento reperiatur. Putarem ego, occaſione Ezech. VIII, 10. XIV, 4. XXII, 3. à Judæis uſurpatum vocabulum, dictitante Sp. S. in Evangelia relatum, poſtmodum à Chriſtianis receptum, & in verſionibus retentum. Sic conſuleretur hiſtoriæ. Aſſerto noſtro favet conſenſus conſtans codicum Græcorum, eorumque optimorum & antiquiſſimorum. Unicus ille Bezæ codex, cujus lectio adeò probatur Grotio, tot libris nihil præjudicat. Brugenſi opponimus Chryſoſtomum, Theophylactum, Armenios. (Nam & hi quoque ſervant noſtrum ԲԵԼԶԵԲՈՒԼ *Belzebul*, quod malè Rivola (q) *Beelzebub* transfert.) Conf. Buxtorf. Lex. Talm. p. 334. Glaſſ. Philol. S. p. m. 937. Poſtremò nec illud cogitatione aſſequor, qui ex dæmoniorum cum muſcis comparatione, & vermiculatione (r) molecularum aëriarum colligi queat, *muſcas illas peſtilentiam adferentes nil aliud eſſe, quàm minutiſſima corpora, quibus Diaboli induti ita ſe nobis inſinuent, & tam miſerè corpus noſtrum depaſcant, ut plerumque peſte homines in vertiginem aut inſaniam redigantur*: quod Anonymus quidam (s) prodidit. Aſt hæc in transcurſu monuiſſe ſufficiat. Kirgeſſorum miſcellam quod concernit, Voſſius (t) eam ſymbolicè interpretatur, & quod terræ admixtum, Telluris hieroglyphicum; reliqua, armentorum ſigna fuiſſe conjectat. Natio enim iſta nihil perinde ſalutare humano generi, ac terram pecus & armenta cenſet. Nos ne ἀσύμβολοι planè à ſtercoratoribus iſtis inſubidis abſcedamus, mundulis illis concionatoribus auditorum ſuorum 🜍 occidentale, ut cum Chymicis loquamur, relinquimus, cujus uſu febrilis (u) iſte & inſanus æſtus deferveat.

§. XXXVII. Sanctius animal, *Homo* ſupereſt, Dei ſymbolum, magnum naturæ miraculum. Vivum & mortuum divinitati conſecravit homo. *Mexicani captum* unum aliquem ex hoſtibus,

 quemque

(q) *Lex. p. 58.* (r) *Kirch. de peſte p. 239.* (s) *Mercurius Platoniſſans, in Cometæ Malo Genio, obſerv. ſingulari.* (t) *de Idol. II, 62. p. 639.* (u) *Joh. Rudolf. Glauber. P. VI. Pharmac. Spagyr. c. 9. p. 22.*

quemque sacrificationi maximè idoneum judicassent, eodem vestiebant, exornabantque habitu, quo ipsum idolum, cui is immolandus esset, induebatur, imposito insuper captivo idoli nomine. Toto illo tempore, quo miser personam istam agebat, idem mancipio huic honor habebatur, qui idolo, jusso interim, hominem genio suo indulgere & ventrem saginare. Ambulante eo per vicos & plateas urbis, accurrebat populus, ipsumq; flexis genibus adorabat, oblatis etiam loco sacrificii donativis. Matres ei offerebant infantes, sani ægrotos suos, ut illis valetudinem restitueret. Permissum ei erat, interdiu pro libitu agere, quamvis semper 10. aut pluribus corporis custodibus stipatus esset, noctu verò caveæ ferreæ includebatur, ne elabi posset. Deductâ posteà ad catastrophen comœdiâ, cùm satis obesus videretur, mactabatur, ut victima, ad sacrificium epulantibus cæteris & convivium saliare agitantibus. Lætior, juxta quosdam (y), *Ingarum* fuit cultus. Quisque imaginem suam è lapide fieri curabat se vivente, eamque *Fratrem* appellabat. Pari cum Ingâ honore Statua à Peruanis afficiebatur. In aciem milites comitabatur, pompâ publicâ circumferebatur, festa ei instituebantur, hostiæ cædebantur. Hoc pacto pluvias & annonam exorari rebantur. Ingentem effigierum hujusmodi numerum Cuscanum territorium Hispanis advenis ostendit. Num verò Caligulæ morbo, qui templum etiam numini suo proprium, & sacerdotes & excogitatissimas hostias instituit (z), laborarint Ingæ, incertum. Superiùs adducta si non destruunt, dubitandi sanè ansam præbent. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. in rescribto suo ad Hormisdam P. P. hæc verba: DIVINITAS NOSTRA, usurpant (a): nemo tamen formulam eorum sacrilegii (b) incusabit. Multo minus reor Inscribtionem hanc, Tarracone (c) legendam:

PIIS-

(x) *Gottfr. Arch. Cosm. p. 276. Hist. Antip. P. I. p. 38. seq.* Roß *p. 204.* (y) *Gottfr. Hist. Antip. P. I. p. 31. seq.* (z) *Sueton. Calig. 22.* (a) *l. 3. de summ. Trin.* (b) *Conf. Boecler. Differt. Acad. IV. de Auspicio Regio c. 3. inprimis p. 240. seqq.* (c) *V. Inscribtiones Urbium Hispan.*

PIISSIMO FORTISSIMO FELICISSIMO D. N. CONSTANTINO-MAXIMO. VICTORI SEMPER AVGVSTO BADIUS MACRINUS V. P. P. P. H. TARR. NUMINI MAJESTATIQVE EJUS SEMPER DEVOTISSIMUS.

Cum quâ tamen sequentem Saguntinam:

DEO AURELIANO.

minimè contulerim. Utcunque sit, plures à morte divinitatem impetrarunt. *Chinenses* Divos etiam habent eos, qui animi fortitudine, multiplici artium cognitione, felici indolis acrimonia, ac singulari vitæ austeritate atque erga omnes innocentiâ claruerunt. *Pausaos*(c) eos vocant, h. e. *Beatos.* Tres præ reliquis memorantur primipilares. Primus SICHIAN, advena è regno Trauteicô, occasum versus sitô, cœlibis autor vitæ, quæ ipsorum ritu initiatis utriusque sexûs admodum frequens est: ejus exemplo crines nullos alunt, & leges ab ipso præscriptas arctè observant. Secunda QUANINA est, Zontonis regis filia, quæ à patre, ipsam, uti antea binas ejus sorores, elocare volente, quòd Cœlo castitatem perpetuam devovisset, immorigera, in solitarium secessum relegata fuit, ut aquas hauriret, ligna comportaret, hortum expurgaret, coleretque (d). Tunc vero simiæ montibus descendere, laborum partem capessere, divi aquis hauriendis occupari, aves rostris hortum expurgare, feræ è silvis ligna congerere. (Apulejanam de Psyche (e) recoqui animadvertis fabulam.) Rex veneficiis ista fieri ratus, locum exuri jussit. Ecce autem, dum filia discerniculo crasso argenteo mortem sibi consciscere parat, subito imbre incendium restinguitur. Aufugit infelix in montem sanctimoniæ studens. Pater ob facinus istud indignum leprâ infectus, vermibus corrosus, incurabili morbo decumbit

(c) *Jo. Consalvus Mendoza II, 2. p. 74. seqq. Lind. p. 1093. seq.*
(d) *Consf. Mendoza l. c. p. 75.* (e) *Apulej. VI. Metam. p. m. 83. seqq.*

bit. *Mox* à virgine id præsagiente & redeunte valetudini integræ restituitur, quam veniam delicti petendo adorare constituit. Illa diu frustrà reluctata, tandem ante idolum quoddam consedit, ne sibi, sed illi supplicatum videretur *(f)*. In Peking sub Chingting in templi adyto QUONIN idoli (an ejusdem cum Quaninâ?) statua visitur, augusto & magno elaborata artificio, muliebri virginis figurâ, ad 3. supra 70. ascendens cubitos. (g) Tertia NEOMA (h) est, Cuchi provinciæ Ochiamiæ tractu oriunda, primarii cujusdam viri filiâ, quæ cælebs & abstinens diu in insulâ quâdam è regione Ingoæ sita, miraculis, ut ajunt, clara vixit, ibique obiit. Ἀποθεώσεως sequens fuit occasio. Quidam, Campus nomine, regiæ classis prætor bello vicinum regnum petens, cum universo apparatu ad Buim appulerat. Cùm profectionem inde meditaretur, nautæ ancoras insperatò solvere nequiverunt. Caussæ ignari Neomam ancoris insidentem conspexére. Accedit Dux præsentis belli curam sibi à rege suo commissam ostendit, rogat, si vera sanctimoniæ ejus fama esset, consilium suggereret. Respondet illa: Si victoriâ potiri vellet, necesse esse, ut sese unà abduceret. Paret Dux. In conspectum hostium ventum est. Illi oleo in mare effuso, arte magicâ speciem oculis obfundunt, ac si classis in igne staret. Dum omnes trepidant, Neoma (Medea altera) conjurationes hosticas dissolvit, & victoriam suis facilem reddidit. Qui summæ rei præerat, agnoscebat miraculum: ut tamen ampliùs confirmaretur, jubet eam lignum, quod manu suâ gestabat, aridum, viride reddere. Hoc enim, ajebat, si integritatis Neomæ exemplum Regi attulero, ab eo pro Divâ adoraberis. Illa non hoc saltem, quod expetebat, præstitit, sed lignum quoque prætereà svaveolentissimum reddidit. Hinc in puppe eam collocans, felicem suum reditum isti adscribsit. Et his rebus factum est, ut imagini ejus in puppi collocatæ semper, tanquam Divæ sacra faciant. *Divæ* alicujus *Sinensis picturam* asservat Maximè Rev. atque Excell. Dn. D. Præses, ex donatione supra laudati Dn. Joh. Schelhammeri: cujus verò sit, Neomæ, an Quoninæ, aut alterius, cùm inscribtione careat, in tanto Dearum ficticiarum numero quod affirmem, non habeo.

Cæte-

(f) *Consalv. Mendoz. p. 76.* (g) *Artif. & Mirand. Sin. c. 13. p. 258.* (h) *Consalv. Mendoz. l. c. p. 78. seqq.*

Cæterùm in Indigetum cenſum referendus quoque *Confutius*, Philoſophorum Sinenſium princeps. Fanum literatorum proprium ei per leges in quâlibet urbe conſtruitur, eô in locô, qui eſt ſupra ludum literarium. Magno id ſumtu conſurgit, & contiguum habet palatium magiſtratus, qui primum literarum gradum conſecutis præeſt. In celeberrimo fani loco *ſtatua* illius viſitur, *plena literis*, aut ejus loco *nomen cubitalibus literis aureis in perelegante tabulâ deſcriptum*: ad ejus latus *ſtatuæ* adſtant quorundam ejus *diſcipulorum*, quos Sinæ in Divos, ſed inferioris ordinis retulere. In hoc fanum novilunio & plenilunio quolibet conveniunt magiſtratus omnes urbani, cum renunciatis Baccalaureis, magiſtrum ſolitis inclinationibus ac genuflexionibus, cereis etiam & ſuffitu veneraturi. (i) Natales ejus urbem Yengcheu maximè nobilitant. In ejus enim territorio oppidum in monte cognomine Changping (k) viſitur, ubi primùm vagitum edidit. Non procul inde jacet oppidum Ceu, ubi non pauca ipſi dedicata fana, gratæ poſterorum memoriæ monimenta ſuperſunt (l) Natus eſt autem Confutius Anno ante Ch. n. 451. & ultra 70. annos vixit (m). Ob parentum ejus ſepulturam celebris quoque mons eſt, Fang dictus, apud Kioheu ſitus, quod oppidum in provinciâ Xantung metropoli Yengcheu paret (n). Non abs re videtur eſſe, ſi diſpiciamus utrum honor Confutio exhibitus civilem excedat reverentiam? Stagiritæ olim ἑορτὴν Ἀριστοτέλειαν agitabant, quòd concivis eorum Ariſtotelis ſuaſu Alexander M. urbem eam inſtauraverat, teſte Ammonio in ejus vitâ (o). Feſtum illud ſi ſolùm conviviis celebrarunt, honorem hunc divinum cum Voſſio (p) non dicimus. Sed quid ſentien-

(i) *Kirch. T. 1 Oed. Æg. ſ. 5. c. 2. p. 399. ex Trigaut.* (k) *Neuhof. Itin. Sin. p. 146.* (l) *Artif. & Mirand. Sin. c. 8 p. 167.* (m) *Neuhof Deſcribt general. Sinæ p. 250.* (n) *Id. Itin. Sin. p. 146.* (o) *Voſſ. de idol. l. 13. p. 107.* (p) *Id. in Add. ib. p. 9.*

tiendum est de Fanis Confutio constructis? Sanè, si Tiberii edicto (q) standum, *ambitiosum & superbum* (addo ego: impium) *est, per omnes provincias effigie numinum sacrari*. Aliorum Romanorum (r) judicio, *nihil deorum honoribus relinquit, qui templis & effigie numinum per flamines & sacerdotes colitur*. At non desunt apud Sinenses magistratus majoris subsellii, quibus ob merita publicè Templa magnis extruantur impensis, arisque statuæ imponantur, quæ illorum exprimant imaginem, quantum per artificis industriam fieri potest. Tum census annuus, & certi deputantur homines, qui perpetuos odores, & semper viventes accendant lucernas. In quam rem ingentia ex ære campano thuribula statuuntur, ad eundem ritum, quo ipsi sua idola venerantur: quem tamen cultum ab illo Diis consecrato distinguere solent, quamvis plebs hos cultus juxtà habere soleat (s). Sed quid inter hos ritus intererit, & eorum, qui ex domo Pythagoræ templum fecerunt, eumque admirati pro Deo coluere (t). Augustus templa, quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere: in nullâ tamen provinciâ, nisi communi suo Romæque nomine recepit: nam in urbe quidem pertinacissima abstinuit hoc honore (u). Scrupulum nobis eximere videtur Neuhof, (x) hoc discrimen afferens, quòd *ab idolo semper aliquid oretur; vitâ functis solummodò reverentia exhibeatur, etiam cum suffumigiis*. Et hoc etiam de Cungfutii veneratione asserit Varenius (y): *Iidem*, inquit, *natali ejus die quotannis recurrente, & aliis quibusdam temporibus ex more deputatis, fercula illi offerunt, magno apparatu, gratiam se habere protestati doctrinæ, quam in ejus libris repererunt, cujus maximè adminiculo doctrinæ gradus ipsi suos & opimos in republicâ magistratus consequuntur. Nullas porro ei*

pre-

(q) *Tacit. Ann. IV*, 37, 5. (r) *Id. Annal. I*, 1, 8. (s) *Lind. p.* 1087. *seq.* (t) *Justin. XX*, 4, 18. (u) *Sueton. Aug.* 52. (x) *Describt. Sin. p.* 277. (y) *de divers. Relig. p* 273. *ex Trigaut.*

preces recitant, nec ab eo quicquam petunt aut sperant, ad eum modum, quò de vitâ functis jam explicatum. His pensiculatis, de consuetudine Sinensium ex intentione eorundem judicandum fuerit. Confer Jos. XXII, 23. seq. Gratæ ergo recordationi adscribendum veniet, quòd in provinciâ Quangtung, si oppidum Nanhung prætereieris, Delubrum occurrit splendidum, in quo Gubernatori suo *Chankieuling* singulis diebus thymiamata, aliasque oblationes offerunt. Ad animum enim sibi revocant ingens illud beneficium, quod sumtibus suis montem quendam invium, tunc Muglyn dictum, equitabilem reddidit & itineribus commodum (z). In oppido Nanchang provinciæ Kiangsi fanum est *Thisiking*, à *columnâ ferreâ* sic dictum. Sedet ibi quamplurimis imaginibus cinctus *Kouja* in sedili magnificè elaborato, habitu Romanorum antiquo indutus, pallioque serico rubei coloris ab humeris dependente amictus. Utrinque pila visuntur erecta, quibus circumplicati duo dracones Deastrum rictu horrifico vultuque minabundo contuentur. In vestibulo fons est, in quem draconem terrâ priùs obrutum, columnæ ferreæ alligatum, detrusisse dicitur. Alchymistam fuisse eum perhibent, artis transmutatoriæ scientissimum, erga tenuioris fortunæ homines beneficum, atque propterea cum totâ suâ familiâ in cœlum sublatum. Epitaphium ejus hoc est: *Quæcunq; Kouja hic possidebat, ea cum ipso totum genus humanum possidebat: habebat cor & viscera ipsius misericordiæ, & cor ejus erat promtuarium liberalitatis & beneficentiæ* (a). Non longè ab oppido Jamcefu sepulcrum est *magni* cujusdam *Sultani*, qui instar Divi à Sinensibus invocatur (b). In provinciâ Xansi, intra urbem Taiyven, *Siango* Imperatori sapientissimo templum consecratum est. Effigies ejus è lapidibus preciosis affabrè fa-

S cta,

(z) *Joh. Neuhof Itin. Sin. p. 83.* (a) *Id. ib. p. 102.* (b) *ib. p. 131.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

cta, sponte suâ (si credere fas est,) surrexit, & ad locum sibi destinatum perrexit. In Lugan, in monte *Peko* (h. e. *omnium fructuum*) ædes sacra est Imp. *Xinnungi*, Triptolemi Sinensium: in regno Xensi, Imp. *Changleango*, ob semitam per montes complanatam: in provinciâ Suchuen in metropoli Chingtu Imp. *Kankungo*, ob bombycum culturam & serici apparatum(c). Sic *Aletam* (d) quendam fama est propter inventa argenti metalla Diis immortalibus pares honores esse consecutum. Quin &, quemadmodum *apud Gades* templum *Senectuti* (e) dicatum fuit, quod eam ætatem velut rerum magistram revererentur: ita apud Sinenses quoque Castitatis memoriæ sacellum erectum. *Hiangsi* illud dicitur, *à pulcro* nempè *odore*, *quinq; virginibus* in provinciâ Nanking, juxta metropolin Ningque inauguratum, quòd à Latronibus captæ, virginitatem morte sibi illatâ redemerunt. Ex quibus omnibus apparet, honorem Viris apud Chinenses excellentibus habitum, civilitatis & pietatis obtentu esse palliandum. Quod ipsum magis etiam confirmatur ex eo, quòd sacrificulus quidam in Pagode (sic templa Indi & Sinenses vocant) celeberrimâ *Paolinxi* dictâ, Legatorũ Batavorum, *Petri* nempe *de Gojer*, *&* *Jacobi de Keiser*, imagines è gypso inter *Longas* h. e. Divos primarios, sub finem Anni 1656. poni curaverit. Verum enimverò ut tandem sententiam nostram aperiamus: *Statuas Heroibus decretas virtutis præmia ducimus; Templa extructa, suffitiones præscriptas, nimietatem sapere censemus.* Nondum enim Scripturæ testimoniis & exemplis Biblicis evictum est, fas & jus esse, ut creaturarum nomine templa initientur, & defunctorum honori suffimenta incendantur. Nec injuriâ *Turcæ* vapulant Wallichio, (f) quòd iis, qui Koranum memoriâ tenent, (*Hussaz* di-

cun-

(c) *Idem Describt. Sin. c. 9. p. 319.* (d) *Polyb. Hist. X, 10. p. 530.* (e) *Philostrat. V. de vitâ Apollon. Conf. Lorin. comm. in Lev. XIX, 32. p. 616. c.* (f) *de Relig. Turc. p. 3.*

cuntur) gentilium more, aut V. T. æmulatione perciti, thymiamata incendunt. *Cochinchinenſium* machinatio ſatis clara eſt. Hi (g) etſi quædam cum Sinenſibus & mox dicendis Japonibus habeant comunia, propria tamen quaſi ipſis eſt *Regum* ſuorum ἀποθέωσις *Ægyptiaca*, quos ſanctitate vitæ illuſtres divinis honoribus, innumera iis idola dedicando, reverentur. Hoc ferè ordine deificatio celebratur: In medio palatii ἀποθεȣμένȣ (exſtructo magnificentisſimo monimento, unà cum altari, multo & exquiſito labore adornato,) arcam cadaveri deſtinatam non minoribus ſumtibus apparant; quam in altari dicto collocatam *Onſaii* candidis induti veſtimentis, variis cerimoniis & ſacrificiis conſecrant, vinum, boves, aliaque animalia, magno numero offerentes; quibus ritè peractis omnem illam molem unà cum apparatu concremant, ſolo corpore defuncti ſibi reſervato, quod ſepeliri fingentes, per 12. alias ſepulturas, de unâ in alteram, ſecretò & cum aſtu traducunt, ut ſic ſuperſtitioſa plebs ſemper de loco ſepulturæ dubia maneat & anceps, ac proinde ex hâc incertitudine plus erga novum hoc idolum devotio creſcat, & veneratio, dum ubivis, ubi oſſa condita ſuſpicantur, ſacrificia cæteris idolis debita perficiunt.

§. XXXIIX. De *Japonibus* par eſto judicium. Plerique enim, teſte Xaverio (h) priſcos quosdam homines colunt, qui veterum philoſophorum more vivebant. Sanctorum indigetum duo (i) ſunt genera: alii *Fotoques* appellantur, *Cami* alii. Iſti fuere olim ſacerdotes & pii viri, atque duro vitæ genere præclari & eruditione; invocanturque, ſi de ſalute æternâ res eſt: hi Heroum nomine cenſendi ſunt, fortibus factis vel novis inventis famam conſecuti; bonorum & divitiarum præſtites. Quæ diſtributio Deaſtrorum ſi Japonum autoritate, ut vide-

 tur

(g) *Kirch T. 1. Oed. Æg. ſ. 5. c. 3. p. 411. ſeq.* (h) *p. 191. cit. Varen. c. 1. de Rel. Jap. p. 14.* (i) *Varen. l. c. p. 17.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

tur, firmari poteſt, concident illa, quæ Linda ex aliis prodidit. Hæc enim verba ejus ſunt (k): *Pracipui in Japoniâ Dii, quos colunt, ſunt Fotoques & Capes. Primus horum in numerum Deorum relatus eſt, propter ejus inſignem doctrinam & vitæ auſteritatem. Alter verò ob benè facta, & peculiares inventiones.* Similiter cum Kirchero (l), in Fotoque & Chamis, veſtigia manifeſta Oſiridis & Iſidis, in Solem & Lunam transformatorum, vix agnoſcemus. In Prolegomenis ſuprà §. 16. principes eorum ſectas, Amidanam memoravimus & Xacanam. Utraque ab inceptore (m) appellari meruit. Plerique enim Japonenſium, ut *Jondaxuenſes*, *Amidam*, (*Nammanda* malè intellectâ voce (n) Caronio.) reliqui, tametſi Amidam non aſpernentur, tamen *Xacam* præcipuè colunt. Eminet (o) inter hujus cultores ſecta *Foquexus, à libro* cognomine dicta. Commemorantur (p) vulgò prædicti autores, *bina aut terna annorum millia in ſolitudine voluntariis ſe pœnis afflixiſſe. Amidæ ingens ſtatua* (q) in ſuggeſtu fani cujusdam, à Meaco 4. ferè paſſuum millibus ipſi â priſcis Impp. conditi, conſidet, *Brachmanis habitu, perforatis auribus, mentoq́ & capite raſo. Supra ſtatuam quaſi pro umbraculo pendent excepta catenis multa magnaq́ tintinnabula. Circà, ludentium ſpecie 30. cernuntur milites, ſtrictis telis armati, ſaltantes Æthiopes, anus veneficæ, dæmonesq́ teterrimi.* Effingitur etiam certâ quâdam imagine ventus, horrificoque adſpectu tonitrua. Ad hæc ſepteni gradus ad templi totius longitudinem porriguntur. In iis ordine certo diſpoſitæ *unius Canonis, Amidæ* (juxta Almeidam p. 180. *Xacæ* (r)) *filii, imagines omninò mille, hinc inde quingena, eâdem omnes formâ, ore venuſtô, egregiè factæ, tricena brachia, totidemq́ manus oſtentant,*

è qui.

(k) *p.* 1137. (l) *T. I. ſ. 5. c. 1. p.* 397. (m) *Varen. l. c. p. 4. & 6. ex Xaver. p.* 237. (n) *ibid. p.* 15. (o) *Kirch. T. I. Oed. Æg. ſ. 5. c. 3. p.* 405. (p) *Varen. p. 16. ex Xaver. p.* 237. (q) *Ib. c. 3. p. 69. ſeq. ex Froſo p.* 202. (r) *Varen. ib. c. 1. p. 20.*

è quibus duo tantùm ad reliqui corporis magnitudinem aptâ proportione conveniunt, cætera parva sunt, duo etiam lumbos præcingunt. Singulæ porrò *statuæ bina tenent jacula, pectus insignitæ septenis hominum vulticulis; corona capiti imposita, cum diademate radiante.* Cubi uxor, regina, magnatum more, in privatis ædibus sacellum *Amidæ* (s) colebat ornatissimum. Ipsius erat *puerilis effigies egregiè picta cum diademate, aureis è capite radiis emicantibus.* An suspicandum est, Japones pro diversâ Amidæ interpretatione, suprà capitis hujus §. 17. tactâ, diversam ejus habuisse imaginem? Romanorum certè superstitio in *Jani* sui *bifrontis imagine* admodum variavit. *Barbatam* suprà ex Rarithecio Gerhardino dedimus, geminamque sed alterâ parte *laureâ* notatam, Ampliss. atque Excell. Dn. Jo. Andr. Bosius, Historiarum Professor in hâc Salanâ celeberrimus, Patronus meus singulariter suspiciendus, consulenti mihi ostendit: qualis etiam, sed *quadrifrons* in Kirchero T. I. p. 410. pingitur. Verùm eodem modò laudato Dn. Bosio monstratore cognovi, quòd idem ille *Janus alterâ facie vesticeps, altera imberbis* inveniatur. Quin *virgineus planè uterq; vultus in numo* quodam modò laudati Dn. Bosii visitur: similemque *ex argento* Rev. præm. atque Excell. Dn. D. Præses possidet, ex oppositô *Palladii* signaturâ (vultu puta Minervæ galeatô,) insignem. De Amidâ nihil certi definire licet. *Xacæ*(t) *signum* quoddam *colossæum immanis magnitudinis* in ligneo Templo, quod summitati collis alicujus superstructum est, celebratur. *Singulas habet ad dextram lævamq; statuas paulò minores: à tergo autem quoddam quasi folium* (f. solium) *exsurgit, ex quô sigillorum unius palmi duo circiter millia prominent, infantesq; præterea bini ferè quadraginta; deniq; latus utrumq; templi, sparis armati dæmones bini custodiunt.* In urbis Nara, diei unius iti-

(s) *ib. c. 1. p. 13 ex Frojo p. 201.* (t) *Id. c. 3. de relig. Jap. p. 71.*

nere à Meaco distantis, templo medio, *Cobucui* nomine, *sedentium habitu, septenûm cubitorum tria* (u) *signa sunt posita, Xacæ & filiorum, latera ipsius cingentium.* In alius templi medio (x) tria sedent signa: *Canon & Xixi, parentem Xacam interlocant. Xacæ statua ex ære cyprio in amplâ & pulcrâ quiescens rosâ, 14. ulnas latitudinis obtinet: reliquæ duæ novenas, ligneæ, sed omnes aurô affabrè admodum intectæ, radiis tantâ claritate micantibus: ut intuentis aciem penè perstringant.* Voluminum ab uno Xacâ, uti Japones perhibent, conscribtorum (y) tanta est copia, ut incredibile sit, vel unâ ætate à multis autoribus, vel multis ætatibus ab uno autore confici posse. In medio quodam fano machina lignea, sculptilis, variisque picta coloribus, multis forulis collocatos hos libros continet, eademque, ut est versatilis, quem quisque voluerit librum, offert protinus. *Discipuli* quoque ejus *duo* memorantur: *Combadagi* & *Cacubao.* Primus ille (z) ritûs adorandi dæmonem, eumque in corpus cujusvis compingendi incantamentis ostendit. Hic Bonziorum, qui *Neugori* dicuntur, sectam instituit (a): genus hominum, quod militiæ Rhodiæ speciem refert, infame (b) tamen, quòd omnis doli furtiqi est artifex. Utrumque nihilominus ob excellentiam divinis afficiunt honoribus. Quæ si ita cum Amida & Xaca comparata sunt, uti à Japonibus narrantur, non est, ut cum Xaverio p. 251. statuamus, eos non homines, sed mera Diaboli fuisse portenta: quòd millesimum aut etiam bismillesimum annum explevisse dicantur, Xaca autem octies millies natus esse perhibeatur. Fingendi quippe licentiam hanc ipsis, ut pictoribus atque poetis, lubentes concedimus: nobis Epicharmi illud: μέμνησο ἀπιςεῖν, reservamus. Alii præterea Bonzii Divorum explent cano-

(u) *ib. p. 63.* (x) *ib. p. 68.* (y) *ib. c. 1. p. 16. ex Frojo in Epist. Ind. p. 208.* (z) *Kirch. T. 1. Oed. Æg. s. 5. c. 3. p. 405.* (a) *Varen. l. c. p. 17. & 22.* (b) *Id. c. 2. p. 54. seq.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

nonem. Xingovini Bonzii Divum *Denichi* colunt: Jenxuani *Foben*: Foquexani *Mion*: Xintani *Quoquium*(c) sive *Quaqium*: modò tres posteriores fortasse non sint *nomina librorum* (d) *Theologiæ*. In Sanctorum quoque istorum album relati (e) sunt; *auctor sectæ*, quam *Icoxos* vocant, qui ante ann. 30. vixit; Bonzius item *Nequiron*, qui ante 500. ann. floruisse dicitur. *Daimaogini* festum diem mense Julio agunt, viri, ut ajunt, sanctitate excellenti, Imperatoris cujusdam prisci asseclæ. Adorant hunc Sacajani, dicatis ei templis compluribus. Alius quidam (f) sacrorum præfectus, *Combadaxi* nomine, mirandus vir, & à quo Japonii literas sunt edocti, jam ante annos 800. extremâ ætate magnificum sibi delubrum exstrui jussit, inque specum iturus dixit; se vitæ hujus satietate teneri, velle igitur quiescere ad decies millies millena annorum millia, (satis circumspectè!) quô spaciô exactô magnum Japoniæ obventurum doctorem, ac se quoque tum luci redditum iri. His dictis obturari jussit ostium specus. Eum adhuc vivere credunt, eòque die anniversariâ colitur, ac votis supplicibus invocatur. Hunc honorem impostor tantum non Empedoclæus adsecutus est. *Bramini* in Narsingâ tanquam Deos itidem venerantur, viros (g) meritis in rempublicam claros. Secta quædam eorum, cui nomen est *Ceuravvach*, quæque præter Fortunam, alium non agnoscit Deum, unum veneratur Divum sive Sanctum, *Thiel Theneker* (h) dictum, à quô religionis suæ dogmata majores accepisse dictitat. Quòd *Virginienses Werowancas* suos & *sacrificulos*, postquam ad majores suos in campos Elysios migrarunt, cum contrà plebs in nihilum à morte redigatur, opinione eorum:) Divis annumerent, ex Joh.

Smith

(c) *ib. c.* 1. *p.* 4. (d) *ib. p.* 19. (e) *id. ib.* (f) *ib. p.* 17. *seq. Voss. de Idol. I,* 25. *p.* 184. (g) *Archont. Cosm. l.* 2. *p.* 709. (h) *Varen. de divers. Relig. p.* 295. *ex Joh. de Twist, Belgâ,*

Smith Angli navigatione (i) discimus. *Mexicani* instinctu ductoris sui dæmonis regis Culhuacanæ filiam, Duci suo in uxorem (aut in reginam, ut alii volunt, & matrem (k) Dei sui,) impetratam virginem, connubiali nocte exenterârunt, & juxta idolum suum in divam (& sororem (l) Vizlipuzli) consecrârunt (m). *Tozi* eam vocabant, h. e. *Aviam nostram* (n). De *Peruanorum* cultu, quem *Yngarum* suorum cadaveribus (o) exhibuerunt, supra §. 20. h. c. disseruimus. Hic Hominum cultus fuit: Partes quoque eis in veneratione fuerunt. Obsoleta sunt Ægyptiorum *Ityphallia*, Græcorum *Eleusinia*: recruduere tamen obscœni ritus in *Panuco*, Mexicanæ ditionis provincia. *Phallum* impuri incolæ, una cum imaginibus, omnes luxuriæ actus exprimentibus (p), in templo positum venerabantur. *Culuacani* in casarum suarum superliminaribus cynice satis Floralia repræsentabant. Depictæ visebantur obscœnæ marium cum fœminis consuetudines, nec non, ut Hispani produnt, Sodomiticarum abominationum vestigia manifesta (q). Adeò non solos Moabitas, & contagione eorum, Israëlitas incestavit immundus Spiritus. Idolum enim illorum *Baal-Peor* (r) Armenicè ԲԷԼՓԵԳՈՒՐ *Belpegour*: horum verò *Miplezeth* (s) unum & idem, Mutonis specie effigiatum R. Sal. Jarchi (t) prodidit, qui cultum ejus spurcissimum simul describit: quamvis hic minùs sit ad Vossiorum, patris (u) & filii (x) palatum.

§. XXXIX. Nimium est, eos habitos esse deos, à quibus magna utilitas ad vitæ cultum inventa est: temerarium, ipsas res utiles & salutares deorum vocabulis nuncupatas. Absurdum planè, res sordidas atque deformes deorum honore afficere, aut homines

(i) *Gottfr. Hist. Antip. P. I. p. 185.* (k) *ib. p. 54.* (l) *ib. p. 33.* (m) *Laet. V, 12. p. 245. ex Acosta.* (n) *Gottfr. l. c. p. 33.* (o) *ib. p. 31.* (p) *Kirch. T. 1. Oed. Æg. s. 5. c. 5. p. 422.* (q) *Laet. VI, 5. p. 284. seq.* (r) *Num XXV, 3.* (s) *1. Reg. XV, 13.* (t) *Comm. in 1. Reg. XV, 13.* (u) *de Idol. II, 7. p. 342.* (x) *Dionys. not. ad Maim. p. 37.*

mines jam ante deletos in Deos reponere, quorum omnis cultus in luctu est: quid verò stultius, quàm *Statuas* arte factas colere, coram opificis figmento procidere? Confer Jes. XLIV, 9. 20. c. XLVI, 5. 7. Jerem. X, 3. 5. Sap. XIII, 10. 19. Baruch. VI, 7. seqq. Duplicem incogitantia rationem invenit, quâ impietatem exerceret: sine idolis sc. & cum idolis. Janus Munke, Christiani IV. Danorum Regis auspiciis in *Grönlandiam* An. 1619. profectus, in continenti *Saxum* (y) offendit latum, *imagine, Diabolum cum unguibus & cornibus referente, pictum.* Fœminæ An. 1654. inde abductæ *idolum* quoddam, *rudi Minervâ exasciatum, dimidiæ ulnæ longitudine, plumis & pellibus amictum, parvis sed longiusculis animantium dentibus exornatum,* probè agnoscebant. *Nalymguisang* illud appellabant, affirmando, pueros circum istud choreas ducere (z). Lapideas Statuas pro diis habuere *Lappones* (a). Ligneas quoque multiplices rudi opere Imagines *Samojedi* (b) venerati sunt. Plana earum facies paululum saltem rotundabatur, nasus altior assurgebat, utrinque crena oculos effigiabat, sub naso fissura os obumbrabat. In littore plerumque super colles statuebant. Abreptam An. 1596. à Batavis enixè repetebant, receptamque avehebant (c). *Cataini* Tatari idola quædam de filtro & serico ad hominis formam effigiata, ex utraque parte tentorii constituentes pecudum suorum custodes esse precantur, iisque plurimum reverentiæ exhibent. His primùm lac omnis jumenti ac pecoris offerunt: his antequam quicquam vel bibere, vel comedere incipiant, partem apponunt. Quodcunque demum animal ad esum mactaverint, illius cor in scypho per integram noctem appositum, manè coquunt & comedunt (d). Quidam Tatarorum ea clam (e) domi servant. *Sinensium* morem ex parte recensuimus, ex parte hic quoque subjungimus. Secta eorum *Sciequia* ab ipsis dicta, vel *Omitose*, (*Omitose* Varenius (f); *Omtose* Neuhof (g) exhibet.) Japonibus *Siacca* & *Amidabu* (*Amidaba*

T iterum

(y) *Hist. Antip. P. III. p.* 644. (z) *Olear. Itin. Pers. II. p.* 167. (a) *Damian. à Goës in describt. Lappiæ.* (b) *Olear. Itin. Pers. III,* 3. *p.* 163. (c) *Moseman. P. I. c.* 12. *p.* 415. (d) *Boëm. II,* 10. *p.* 105. *Lind. p.* 1020. (e) *Arch. Cosm. l.* 2. *p.* 673. (f) *de divers. Relig. p.* 275. (g) *Describt. Sin. c.* 7. *p.* 307.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

ster. Varenius (h), & *lex Sotoqui* (i.)) templa possidet, plena deorum monstris immanibus; æreis, marmoreis, lignis, luteis (k). Nec in fanis saltem aliquot millia simulacrorum colenda exponunt: sed privatis etiam in ædibus ferè singulis, loco ad eam rem deputato, In foro, in vicis, in navigiis, palatiisque publicis hæc una abominatio penè primò se spectandam præbet (l). Hieronymus Marinus, Martini Herradæ A. 1577. in Sinas proficiscentis comes, in unicâ insulâ provinciæ Auchieonis, ultra CXII. simulacra numeravit, præter ea, quæ passim per vicos atque vias, tàm intra, quàm extra urbes occurrerunt (m). Extra Nanking, urbem provinciæ cognominis, Fanū est celebratissimum, *Sinis Paolinxi*, aliis etiam *Paulingjing*. Multa ibi sacella visuntur: in maximo & famosissimo numerarunt Batavorum Legati An. 1656. Idola decem millia. E gypso ficta erant, variisque coloribus depicta; quædam etiam inaurata. Longissimum viri staturam, brevissimum palmam æquabat. Stabant sigilla in Xystis ad murum in ordines 4 aut 5. digesta. Grandissimæ supremum, minimæ infimum occupabant locum. In medio areæ, mundi illud miraculum, *Turris Porcellana*, quam vocant, prominet: ante hos 700. annos, Tatarorum jussu, in signum victoriæ de Sinis reportatæ, devictorum sumtibus exædificata, in nupera etiam expugnatione eapropter illæsa adhuc durans (n). Non videtur tamen sagaces homines fugere idolorum vanitas. Suprà memoratus Hieronymus Marinus, Dominicanus, imagines quasdam Cantone, inter litandum humi prostraverat. Tum verò Sinenses in eum ruere: ille contrà dicendi veniam exorare; demonstrare, opificii potiùs esse, ut opificem adoret, quàm opificis, ut opificium. Annuerunt idololatræ, & idola confracta reliquerunt, ajentes, se ab aliis ejuscemodi nondum admonitos, magnam ei gratiam habere, monachumq; honorificè domum deduxere (o) Hiero-

(h) *l. c.* (i) *ibid.* (k) *Kirch. T. I. Oed. Æg. s. 5. c. 2 p. 399.* (l) *Id. ib. p.* 401. (m) *Consalv. Mendoz. de Regno Sin. II, 2. p. 79.* (n) *Neuhof Itin. Sin. p. 123. seq.* (o) *Consalv. Mendoz. II, 3. p. 80. seq.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

rophantæ etiam Sinici tantam ſibi licentiam ſumunt, ut verberibus in idola advertant, ſi exſpectationi ſuæ minus velificari videantur (p). Sapientiores hac in parte Nerone, qui religionum usq; quaq contemtor, icunculam quandam puellarem pro ſummo numine, trinisque in die ſacrificiis colere perſeveravit, credique voluit, monitione ejus futura prænoſcere (q). Mirari verò ſubit, ingenioſisſimos mortalium in ſuperſtitione ſuâ pertinacisſimè hærere. Sicuti enim olim apud Romanos hæc XII. Tabb. lex fuit: *Separatim nemo habesſit deos, neve novos, ſive advenas, niſi publicè adſcitos, privatim colunto*: ita in Sinarum regno edictum obſtat antiquisſimum, quò minus novum ac peregrinum Sacrorum genus admittant. Qui ſine expreſsâ regis permiſſione id auſit, capite fortunisque omnibus atrociſſimo ſupplicio evertitur (r). Et hoc ipſum hodierno die in Japonia obtinet, ubi ſine permiſſione epiſcoporum in ſingulis provinciis ac locis nullas religiones inducere licitum eſt (s). Non minor Indorum eſt obſtinatio, qui in tanta Evangelii luce, & converſatione cum Chriſtianis nihil de inveteratâ ſuâ idololatriâ remittunt. *Canarini* vocantur, qui circa Goam ruri habitant. Religio eorum nondum quidem explorata eſt omnibus; in eo tamen cum Benjanis conveniunt, quòd deiculos è lapide vel ligno ſculptos adorant (t). Guzaratenſium quoque ſecta (*Mexery*) idola veneratur: ut & altera, *Baman* (vulgò *Bramenes*) dicta, quæ in templis idolis ſacrificat (u). Et hi ipſi Bramanes totum *Narſingæ* regnum quaſi eluvione quâdam inundant. Unde indigenæ deaſtros ſuos, quin & diabolum, variis, iisque horrendis modis effigiatos venerantur (x). In eâdem navi *Malabares* navigant. Horrenda enim idololatria in regnis Cananor, Cotſchin (ſive Cochin,) & Cale-

(p) Roß p. 154. (q) *Sueton. Ner.* 56. (r) *Mendoz. l. c. p.* 82. (s) *Laurent. Japonius p. 60. epiſt. Ind. Varen. c.* 2. *de relig. Jap. p.* 51. (t) *Mandelsl. II,* 8. *p.* 136. (u) *Varen. de diverſ. relig. p.* 292. (x) *Mandelsl. III. p.* 195.

cut viget, quam in Pagodis sive sacrariis suis exercent. Amentissimi verò sunt *Bengalenses* (y), qui deos, quo deformiori & terribiliori vultu finguntur, eò magis supplice cultu eos prosequuntur. Callidior *Siamensium* ratio. Singula eorum templa & cœnobia incredibili idolorum & statuarum numero exornata sunt. Diversæ ista magnitudinis & ex diversis materiæ speciebus facta, deaurata, ornataque quàm magnificentissimè, ita, ut adspectu exteriori perquàm elegantia & preciosa appareant. Quædam idola 4. 6. 8. vel etiam 10. ulnas longa sunt. Inter alia quoddam magnitudinis incredibilis, habitu sedentis: quod si erigeretur, saltem ad 20. ulnarum vel 120. pedum altitudinem adsurgeret (z). Illud ipsum etiam de *Siam* (hodie *Indiâ* (a). Lusitano cuidam *Odiaâ* (b),) urbe regia verum est (c). *Mogolicorum* consuetudinem suprà §. 24 notavimus. In continenti *Jabæ*, quâ parte adversa Maduræ est, urbs quædam maritima, nomine *JORTAN* sita est, cujus rex titulum: *Rey de Sorbay*, præ se fert, 4 provinciis Muhammedismo infectis imperans. Indigenarum templa in lucis à viâ regiâ remota sunt, in quibus meridie preces fundunt. In iisdem *imagines* quædam *specie Diaboli deformis, cornuti & triplici diademate cincti* visuntur. Pontifex maximus eorum Jortane sedet (d). *Zeilani* gentiles hinc inde Pagodes struxerunt, in quibus Deastros suos horribili figurâ formatos divino honore & victimis colunt (e). *Angolani* in medio urbium posita è lignô idola, Nigritis simillima adorant. Ad pedes eorum acervi eboris, calvariis hostium in bello occisorum decorati conspiciuntur (f). Conganorum vicini septentrionales in *Loango* (g) sub æquatore paria istis faciunt. Ex Novo, quem vocant, Orbe quid exspectandum sit, ex superioribus clarum est.

Vir-

(y) Roß p. 160. (z) *Varen. app. de relig. Jap. p. 216. ex Jodoc. Schouten.* (a) *Id. de relig. Siam. p. 274.* (b) *ib. p. 275.* (c) *Mandelsl. l. 3. p. 202.* (d) *Hist. Antip. P. 2. p. 412. ex navig. Olivieri de Nord, Batavi. 1598.* (e) *Mandelsl. II, 21 p. 146.* (f) Roß *p. 194.* (g) *id. p. 195.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Virginienses in arenosis quibusdam, lucorumque divortio separatis montibus, tres ingentes ædes sacrosanctas habent: in quibus præter idola, regumque conditoria nihil reperias (h). In *Chiametla* (i) *Novæ Galaciæ* provinciâ idola ab anthropophagis culta sunt. Tlascalensis Provinciæ incolæ *Otomitæ* s. *Otomyes*, inculti, politicarum artium omnino rudes, idolorum cultui supra cæteros addicti (k). Cozumella insula, Chersoneso Jucatan confinis, nomen suum sortita est à famoso Barbarorum idolo *Cozumel*, ad quod Jucatenses olim ex omnibus provinciis religionis ergò crebriùs visebant (l). Qui *Guatimalæ* provinciam *Nicoyam* incolebant, ad fidem conversi Idola aurea Hispanis tradebant (m). Insula in provincia S. Salvador jacet exigua. Hunc ullum mortalium adire, barbari, *Pipeles* dicti, in viciniâ degentes summum nefas credebant & morte luendum. Hispani ut hanc credulitatem ipsis adimerent, Nigritas aliquot eò miserunt, qui ratibus compactis lacum trajicientes, repererunt ibi *idolum* quoddam *saxeum, fœminæ formâ*, arasque ad immolandum comparatas (n). In *Guianâ* (al. Gujana) supra cataractas fluminis Wiapoco (Wiapaco) *Maranshevvaccæ* (Marashevvaccæ) è natione Caribum degunt, quibus, si fides barbaris, grandissimæ & penè monstrosæ sunt aures. *Idolum* hi colunt, *effigie viri, calcibus suis innixi, genubus divaricatis, quibus brachia cubitis incumbunt, manibus elevatis, & palmis obversis, cæterum oculis ad cœlum erectis, & ore patulo atque hiante* (o). Alia Caribum insula *Guadalupea* (Caracuêria et. incolis,) sessores alit, qui larvas in similitudinem pictorum lemurum, quos noctu se videre prædicant, ex gossipio texto conficiunt (p). Ἐπίτασις θρησκείας, Extensio

(h) *Hist. Antip. P.* 1. *p.* 183. *ex Smith Anglo.* (i) *Laet. VI*, 4. *p.* 284. (k) *Id. V*, 15. *p.* 252. (l) *ib.* *c.* 29. *p.* 276. (m) *id. VII*, 1. *p.* 317. (n) *ib.* *c.* 11. *p.* 333. *Hist. Antip. P.* 3. *p.* 613. *seq.* (o) *Laet. XVII*, 7. *p.* 637. *Hist. Antip. P.* 1. *p.* 151. *ex Rob. Harcourt. navig.* 1608. (p) *Martyr. l.* 2. *dec.* 1. *p.* 14.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

cultûs (q) isthæc artificum adscribenda venit ambitioni interpoli: inerti mangonio quorundam impolitia prostituitur. Multi ex *septentrionalibus Sueciæ populis* hodieque *Pannum rubrum* (r) adorare dicuntur. In sublime elatum *Molgomsai Badaique* (s) venerantur.

§. XL. Ignem accensum in eremo quadam montosâ ita luculentum non fuisse, ac in locis depressioribus, ob incredibilem frigoris magnitudinem, refert Venetus (t). Ignis verbi divini (u) liquidissimus, per omnes partes orbis habitabilis succensus est. An verò tenuissimam etiam stricturarum vim in Gentium, longâ hactenus serie enumeratarum, theologiâ animadvertere poteris? Profectò in hunc usque diem tenebræ operiunt terram, & caligo nationes (x). Integri hodienum populi, aut ignem, aut ventum, aut citum aerem, aut orbem stellarum, aut violentam aquam, aut luminaria cœli Deos rectores mundi esse putant (y). Sapientipotentes etiam opinione suâ, vani sunt in ratiocinationibus suis. Incorruptibilis DEI gloriam in imaginem efformatam hominis corruptibilis, & volucrium, & quadrupedum & reptilium transmutant (z). Rebus creatis serviunt, præterito Creatore, qui est benedictus in secula (a). Ad idola insuper muta, prout rapi contingit, abripiuntur (b). Uno verbo: Absque Deo (c) in mundo sunt. Quid enim aliud agunt homunciones, qui dependentiam caussalem cum divinitate copulant, quàm quòd oratione quidem relinquant, reapse verò tollant Deum? Tantum enim abest, ut vel ulla creatura, vel statua divini nominis usurpatione frui possit, ut falsi etiam Dei appellatione ipsi abstinendum sit. Quicquid enim extra sphæram mundi archetypi positum

est,

(q) *Sap. XIV*, 18. (r) *Lind. p. 906. ex Olao M. III*, 2. (s) *Cluver. Introd. Geogr. V*, 4. *p. m.* 284. (t) 1, 37. (u) *Jer. XXIII*, 29. (x) *Jes. LX*, 2. (y) *Sap. XIII*, 2. (z) *Rom. I*, 21. 23. (a) *ib. v.* 25. (b) 1. *Cor. XII*, 2. (c) *Eph. II*, 12.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

eſt, ſimpliciter non Deus eſt. Exſertè Apoſtolus φιλοσο-φώτατος: οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ. *Idolum nihil eſt in mundo.* Ad mentem planè Sp. Sancti. qui idola in ſanctâ linguâ vocat אֱלִילִים (d) ab אֱלִיל *Nihilum*, aut quaſi אל אֵלִים *Non DEOS* (e). Mitiùs paulô, ſed itidem contumelioſè ficta illa numina Rabbinis terminatione fœmininâ dicuntur אֱלוֹהוֹת. Quos & Arabes imitari videntur, quibus eâdem inflexione الـــإلهة & الإلاهة *deam & idolum* (f) ſignificat. Sanè haud conveniens eſt Majeſtati divinæ, ut nomen ipſius in terminationem exeat fœmininam (g). Qui verò conveniat, eum ſexûs ſequioris credere? Non defuere tamen in remotisſimâ mundi parte *Mechoacani*, qui ut Græci Cybelen ſuam, *communem* quandam *Deûm matrem* (h) crediderunt. Hiſpaniolæ incolæ à majoribus ſuis cœleſtis numinis æterni duo accepere nomina, *Jocauna* nempè, & *Guamaònocon.* Numen verò ipſum habere genitricem, 5. his nominibus appellatam, ferunt: *Attabèiram* ſcil. *Mamònam*, *Guacarapitam*, *Iièllam*, *Guimazòam* (i). Non hæc ſomnia, ſed monſtra ſunt. Utrumque abſurdum, & divinæ naturæ ſexum adfingere, & matrem deorum effingere. Carnalium hominum figmenta, πολυθείας incunabula. Matrem qui cogitaverit, improlem eam non conceperit. Et quis entium dependentium numerum inibit? Hinc tot millena deaſtrorum millia: quorum infelix memoria ſub alio ſaltem atque alio nomine hodienum viget. Apud *Samagitas* paganiſmi hujus rudera adhuc reperiri, auctores afferunt. Nonnulli enim eorum colunt *Auxthejas Viſſagiſtis*, *Zemopacies*, deam *Auſcam* radiorum ſolis, *Bezleam* veſperi deam, *Brekſtam*, deam tenebrarum, *Ligieze*, deum, qui concordiam inter homines ſervat, *Datan*, bonorum

rum

(d) *Lev. XXVI, 1.* (e) *V. Buxt. Lex. p. m. 29.* (f) *Gol. Lex p. 144.* (g) *Buxt. cit. Cappell. in defenſ. Diatribæ de nomine* יי *p. 736.* (h) *Arsb Coſm. p. 275.* (i) *Martyr dec. 1. l. 9 p. 103.*

rum datorem, *Kirnis*, qui curam habet cerevisiæ, *Kremata*, porcorum deum. *Gondam* filiæ adorant: *Modeina* & *Ragaina* silvarum dii sunt: *Tawals* deus divitiarum. Multæ quoquè veteres familiæ nobiles sunt, qui proprios penates suos habere creduntur, quorum nomina sunt: *Kurwaiczin*, *Eraizain*, *Garcunithas*, *Dersintos*, & plurima alia. Audi verò acutos dialecticos. Cùm Jacobus Lascovius à Sigismundo Augusto A. 1572. esset missus, qui Samogitis unum Deum concionaretur, ipsi responderunt: *Quare tu nobis unum prædicas Deum, tanquam potentiorem nostris diis? Nunquid ignoras, plures plus habere potentiæ, quàm unum, & facere plura, quàm unus possit* (k)? Tacent alii; satis tamen laudant hoc ratiocinium. *Kataini* idololatræ *duos* credunt *Deos*; *Cœli* alterum, alterum *Terræ* Deum. Illum summum appellitant, effigies ejus in summitate ædium singuli collocant, eidem quotidiè ture aliisquè odoribus litant, sanam ab eo mentem, sanumquè corpus orant. Hunc prioris filium & *Natigai* (*Nathagai* lego apud Venetum (l)) vocitant. Uxorem insuper habere atque liberos credunt. Lævam ista mariti claudit: hi adversi consistunt. Singuli has imagines domi suæ, sed in inferiore loco servant. Quoties cibum capiunt, idoli, aut maritæ etiam ejus faciem pinguissimo omnium, quod habent, ferculo inungunt. Hoc modo, ubi suam ille, epulantium opinione, partem inunctione hâc acceperit, quod superest, statim ipsi devorant. Gregibus præterea pecorum eum placant, quòd hunc terrenas res & pecora præsertim curare, tanquam Pana alterum, credant. Unde ab eodem etiam fructuum abundantiam, & ingentem pecorum numerum putant (m). Sapientiores non fuere *Chinensium* majores, qui præter supremum numen,

(k) *Lind. p. 923. seq.* (l) *H. O. I, 58.* (m) *Venet. l. c. Jo. Consalv. Mendoza de Regno Chinâ l, 1. p. 29. seq. Lind. p. 1020. Kirch. T. 1. Oed. Æg. s. 5. c. 3. p. 411.*

men, minorum quoque gentium deos, tutelares puta montium & fluviorum, coluere (n). Vestigiis eorum insistunt posteri. *Literatorum Secta* templa possidet, tutelaribus spiritibus urbium singularum, & tribunalis cuique magistratui propria. In iis sacramento se solenni adstringunt, ad jus fasque servandum, & officii sui partes legitimè exsequendum. His etiam fercula offerunt, & odores incendunt; sed non eodem modò, quô in Confutii cultu. Nam in his agnoscunt perjuros plectendi, probosque remunerandi divinam quandam inesse facultatem (o). Sectæ *Sciequiæ* constituta quædam §. præced. cognovimus: quædam supersunt. In extremitate quâdam Montis excelsissimi, deserti & invii, in Quantung siti, nomine *Sangwohab* artificiosum fanum visitur. *Deaster* quidam in eo colitur, qui *intempestâ nocte veniens certis quibusdam signis mandavit, ut eo in loco ædificarent, modoque præscribto sibi offerrent* (p). In alio quodam inculto monte æquali frequentiâ hominum & oblationum visitur Pagoda magnifica *Kon-jans-jam*, in cujus solario idola plurima offenduntur (q). Inter celeberrima totius regni delubra illud quoque numeratur, quod in urbe Kangcheu provinciæ Kiangsi exstructum est. Nomen ejus *Kuil Kiasti Miao*, h. e. Divi, qui ibidem colitur, *Kuil Kiasti fanum*. In medio ejus immane quoddam idolum conspicitur. Vestibulum utrinque adversi *Gigantes duo truculenti*, è gypso formati, mirificæ magnitudinis custodiunt. *Alter* horum *ingenti nisu formidandum draconem solo infligit, manibus artissimè comprehensum: alter nanum conculcat, minaci vultu & stricto ense ingressuris terribilis*. Biga ejusmodi simulacrorum in ipso etiam templo conspicienda est. Sed hæ imagines è mysticis Sinensium emblematibus esse videntur (r). Oppi-

(n) *Ursin.* Von Unterscheid der Relig. p. I. c. I. *ex Trigaut.* (o) *Varen. de div. Rel. p. 274. ex Trig. l. 10.* (p) *Neuhof Itin. Sin. p. 72.* (q) *ib. p. 75. seqq.* (r) *p. 90.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

duli Kiexui, ſive Kiſſuwen, Pagoda quamplurimis idolis (s) teferta eſt. Ad urbem Jejenjeen provinciæ Nanking primarius quidam Deus, magnus *Kinkang* cum icunculis adoratur (t). *Effigies* ejus *ſedili reclinata, è gypſo eſt*, 30. *pedes alta. Caput corona cingit, undiq; craſsè argentata & aurata, variis inſuper gemmis & cimeliis ornata. Utrinque longè abſiſtens ab auribus ad pectus usq; peplum dependet: manica dextra vacua eſt:* maximi ipſum faciunt (u). Aliud haud procul inde fanum *Quangguamiao* ſacrum eſt. Imago ejus ad vivi ſtaturam expreſſa, ab utroque latere deunculis cingitur. Ad murũ circumcirca tres ordines ſunt idolorum magnorum pariter & minorum. Sinenſes atque Tatari profectionem proſperam, ſacrificiis ibi oblatis, ſibi promittunt (x). In Xantung ad urbem Xantſui ſive Xeuchang fanum *Teqwanmiao*, plenum imaginum majorum & minorum conſpicitur (y). Extra urbem Lincing in ſupremo turris cujusdam, 90. cubitos altæ, circuitu coloſſus Divæ apparet, cui turris iſta conſecrata. Statua 30. pedes alta eſt, è gypſo, argento & auro obducta (z). Annos 96. ibi ſtetit (a). Iconem vide in Neuhof, in Deſcribtione Sinæ c. 8. p. 317. Ibidem p. 316. *Immortalitatis* quoq; idolum ſiſtitur. Felicitatis hoc ſignum exiſtimatur, & adoratur alicubi. Forma ejus hæc eſt: *Sedet craſſiuſculus quidam, cujus pinguis aqualiculus ſesquipede extat, decuſſatis cruribus: dextrâ cervus, ſiniſtrâ ciconia adſiſtunt. Ipſe compoſitis intra manicas manibus, venerandâ canicie, longumq; protensâ, pectore ſuperiore nonnihil aperto, quò pinguiuſculus magis appareat* (b). In Nenchienſi metropoli templa invenies dicata montibus & fluminibus, i. e. *Oreadibus* & *Najadibus*, *Grato Animo*, *Præſidi murorum*, *Optimæ Paci*, *Spiritui medicinæ*, *Æſculapio* vel *Apollini*, *Præſidi ſilvarum*, vel Dianæ,

Terræ

(s) *p.* 97. (t) *p.* 128. (u) *Deſcribt. Sin. p.* 316. (x) *Itin. Sin. p.* 128. *ſeq.* (y) *p.* 151. *ſeq.* (z) *p.* 155. *ſeq.* (a) *Deſcribt. Sin. c.* 8. *p.* 316. (b) *ib. p.* 315. *Artif. & Mir. Sin. c.* 13. *p.* 264.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Terræ ſive Cereri, *Deo pluviæ*, *Regi avium* (c). *A Lauzu* cumprimis aſſeclis *MINIFO* colitur *Voluptatis præſes. Hilari adeò atq; lætifico vultu*, tanquam gratisſimus Deus Riſus, (d) *fingitur*, *ut ad adſpectum ejus triſticia durare nequeat. Abdomen ampliùs, ac in Immortalitatis idolo, propendet: pectus & venter à ſummo ad imum nuda.* Imago plerumque eſt orichalcea, intus cava, 20. pedes alta: bracteâ adeò tenui, ut craſſitudo ejus vix cultri dorſum exæquet (e). *Japonum* ſecta *Xenxus*, ut ſupra prælibatum fuit, idola, quæ *Chamis* vocant, adorat. Alia Pythagorica *Amidham*, cujus iconem vide apud Kircher. T. 1. Oed. Syntagm. 5. c. 3. pag. 404. Proximè Machau exſtructum eſt templum, dedicatum cuidam *ſcientiarum Deo*. Ibidem *Deus* aliquis *infernalis* conſpicitur, adſpectu terribilis, *qui peccata hominum notat.* Vitæ tædio capti, quendam *Amide* invocant, ut eò citiùs moriantur: tùm verò aliam *Xaque*, unam ex præcipuis diis. Hæc Linda (f) capitulatim, quæ ſuperiùs explicata ſunt enucleatiùs. Præter eos *Quanonem* deum miro cultu Japonii omnes venerantur, perſuaſi, ab illo deo longioris vitæ ſpacia, bonam valetudinem, divitias impetrari. Bonzii quoque Frenojamani (Frenojamam permagnum montem eſſe epiſtolæ teſtantur, ad quem A. 1562. quingenta Cœnobia (g)) ſacra quotannis eidem ac ludos ingenti apparatu ſumtuque perſolvunt (h). Quibus cœli præfectura vulgò tribuitur, ſunt *Daibur*, *Tamondea*, *Beſamondes*, *Homocondis*, *Zojolis* (i). *Daibur magnæ ſanctitatis virum* denotat. Fanum ejus ex Almeidâ deſcribit Varenius (k). Duo ad latera, cùm portam, quarum 3. ſunt, fani intraveris maximam, ſtant janitores, truci admodum adſpectu, ulnarum 14. altitudinis, inſtar turrium, membris inter ſe præclarè convenientibus. Alter *Tamon-*

(c) *Kirch. T. 1. Oed. ſ. 5. c. 2. p. 401.* (d) *Apulej. 2. Metam. p. m. 32.* (e) *Neuhof l. c. p. 315.* (f) *p. 1138.* (g) *Varen. c. 2. de regn. Jap. p. 14.* (h) *id. c. 1. de relig. Jap. p. 15.* (i) *p. 20.* (k) *ib. c. 3. p. 67.*

dea dicitur, alter *Besamondes*, quorum singulos uni Cœlo præesse vulgus opinatur, calcantque pede singuli dæmonem. *Homocondis* & *Zotolis* simulacra post Xacam, quem Canon & Xixi filii interlocant, cernuntur, superioribus etiam omninò similia. *Jizus* mortuorum manibus ad cœlum ducendis præest (l). *Maristines* militari rei (m) præpositus est.

§. XLI. Secta in Indiâ *Samaraeth* unum docet Deum, totius universitatis monarcham, qui & condidit & conservat omnia, cujus etiam providentiâ gubernatur hominum vita & fortuna: vocatque eum vernaculâ linguâ *Parmiseer*. Hunc præter, tria minorum gentium credit numina, quibus & divinus præstatur cultus, & certa munia adscribuntur. Primus *Brama* est, qui animas in hæc vel ista corpora, humana vel bruta pro mandatu Dei compellere dicitur. Secundus *Buffiuna*, qui homines voluntatem Dei edoceat, atque ad præcepta ejus (quæ 4. descripta libris asservantur,) servanda hortetur: præterea agris & arboribus fertilitatem indat, atque hominibus omnia ad sustentandam vitam necessaria suppeditet. Tertius *Mais*, qui tàm hominum, quàm brutorum interficiendorum potestatem obtineat(n). Indi in *Golconda* regno credunt, antiquitùs quidem unum Deum fuisse, eum verò postea alios quosdam semideos sibi assumsisse è mortalibus, qui miraculis, aut vitæ sanctimoniâ inclaruerint. His templa sua sive pagodes dicant, & prout cuique allibuerit, divinum cultum exhibent(o). *Goenses*, præter Solem & Lunam, diversis Deastris aspectu terribilibus serviunt (p). In aris hinc inde idola, *Pagodes* dicta, ex lapide sculpta conspiciuntur, coram quibus in genua procumbunt, singulari ritu ea venerantur, festis præsertim diebus & negocium aliquod suscepturi (q). *Amadabadi*, quæ me-

(l) *ib. c. 1. p. 20.* (m) *p. 19.* (n) *Id. de diverſ. relig. p. 297. ex Jo. de* Tvviſt. Belg. (o) *ib. p. 293.* (p) Roſſ *p. 163.* (q) *Arch. Coſm. l. 1. p. 245.*

metropolis est regni G. suratta, in singulis Benjanici templi pulcerrimi sacellis, nuda mulier complicitis pedibus cossim sedet. Ex candido marmore aliæ, aliæ ex nigro exsculptæ sunt. In quibusdam cellis ternæ visuntur: alba media, collaterales nigras magnitudine superat. Flamen eas floribus & corollis, quæ à precatoribus offeruntur, exornat (r). *Narlingani* Bramini Deastrum colunt, *Parabram* dictum, cum tribus filiis, inque honorem ejus tres funiculos collo gestant (s). Et hi Gymnosophistarum successores, lineis induti vestimentis, nudipedes, baculo fulti, comati, Mythram circumferunt & Pagodes, sive Isiacas statuas (t). Imaginem ejusmodi portatilem ex Kirchero (u) adjungimus.

(r) *Mandelsl. 1, 16 p. 60. seq.* (s) *ib. l. 2. p. 709.* (t) *Kirch. T. 1. Oed ∫. 5. c. 4. p. 414:* (u) *∫. c. p. c. 2. p. 399.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

PAGODES, INDORUM NUMEN,



Peguani plurimas fovent absurditates. Multitudinem minorum deorum, præter supremum numen, datores bo-

no-

norum (x) credunt, ut & mundorum mutuam successionem. Hunc mundum gubernatum esse nugantur à 4. Diis jam sublatis: quintum nondum advenisse, à cujus morte (ô dementiam!) mundus sit conflagraturus (y). Secundùm *Siamenses* unus est supremus Deus, & juxta eum multi minores Dii in Cœlo. Statuas quoque Doctorum suorum vetustorum, tanquam parva idola in templis constitutas, superstitiosa veneratione colunt (z). Idola sua opinantur repræsentare supremum Deum, Deos minorum gentium & sanctos defunctos viros sive divos, qui cultum hunc scribtis & legibus suis mandaverunt (a). *Mogolis* subditi unum quidem agnoscunt Deum, miras tamen de eo fovent fabulus. Eum videlicet *in mundo diversas induere figuras, e. g. piscis, testudinis, porci, monstri insuper, quod supernè fœminam, infernè leonem referat.* Varia prætereà adorant *idola;* unum præprimis *fœminei sexûs, biceps & multimanum.* Hujus ergò complures peregrinabundi apud urbem Thaor congregantur. Ipse rex singulo mane Solis & Christi, qui Sol justitiæ est, effigiem diademati suo impositam si relatui fides, adorat (b). *Formosa* quædā insula est, supra Philippinas jacens. Incolæ plures Deos reverentur (c). Primores perhibentur *Tamagisanhach* & *Sariasing*. Ille Austrum, conjux ejus *Taxankpada* Orientem inhabitat. officium, formæ mangonium. Hic Septentrionis incola, deformitatis procurator creditur. Hunc, ne lædat, mulieres præcipuè invocant: illum verò, ut sequiorem hunc, tanquam potior, coërceat. Gradivi munere funguntur *Tapaliape* & *Taleful*, quos viri contra hostes ituri venerantur (d). *Guinenses* & vicini in meridionali Africæ latere, *Angolâ* & *Congi*, plerique unum quidem supremum numen agnoscunt, quod contrà, ac alii, superiùs adducti, prodidere, *FETISSO* nominant: alios tamen, eos-

(x) *Mandelslo l. 3. p. 199.* (y) Roß *p. 159.* (z) *Varen. de Rel. Siam. p. 219.* (a) *ib. p. 221.* (b) Roß *p. 161.* (c) *Mandelsl. l. 3. p. 234.* (d) *Olear. in not. ib. p. 235. ex Navig. XX. Holland.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

eosque multos, unâ cum ipso, deos colunt (e). Conganis vicini *Anzichi*(f), singuli peculiarem suum adorant deum. *Novæ Albion*, secus ac alii sensere, non Virginiæ pars, sed peculiaris insula (g), 150. miliaribus inde distans, Canadæ objacet. Incolas ejus ex primâ conversatione planè irreligiosos judicarunt advenæ. falsò. Complures Dii ipsis in precio sunt. Præ reliquis, supremus omnium *KICHTAN* dicitur, *increatus* ipse, *cæterorum creator*. In principio nullum, præter eum Sachim h. e. regem fuisse fabulantur, eumque tum temporis omnia nutu suo gubernasse, & in Occidente sedem suam habuisse: neminem præterea eum à facie ad faciem vidisse, bonitate & felicitate præcellentem. Alius deindè, malus sine dubio genius, *HOBBANOCK* appellatur, qui modò hominis, modò cervi, modò aquilæ (quem Wobsacuk vocant,) plerumque anguis formâ, tribus hominum generibus, quorum primum nomine tenus ignotum, alterum *Powah*, tertium *Panieser* indigetatur, adparet. Vulnerati eum invocant, quorum etiam vulnera medicabilia curat; immedicabilia autem ab irâ Kichtani profecta affirmat. Hodiè non admodum propensi sunt erga Kichtanum, de quo tamen conqueruntur aliqui, adserentes, eum olim majori in existimatione fuisse. Devotissimi omnium in Deorum suorum cultu sunt *Nanohigganates*, qui in æde quâdam pulcerrimâ omne genus supellectilis ipsis comburunt (h). *Virginienses* itidem complures credunt Deos, diversæ dignitatis & potestatis. Unum tamen æternum censent Deum, cæterorum deorum creatorem. Solem quoque, Lunam & stellas, semideos putant & superiorum instrumenta (i). Præter alium Deum, *Oke* illis dictum, in veneratio-

(e) *Varen. de divers. relig. p.* 304. (f) Roß *p.* 196. (g) *Gottfr. Hist. Antip. P. I. p.* 196. *ex navig. Joh. Smith Angli,* 1614. (h) *Ibid. p.* 193. *ex eod.* (i) *ib. p.* 172. *seq. ex Reichhardo Greinville, Anglo.* 1585. *Laet. III,* 23. *p.* 92.

neratione ipsis quoque aliud deorum genus est, quod *Quiyoughcohughes* nuncupant (k). Apud *Mechoacanos* nulla ars erat, nullum exercitium, quod non peculiarem suum haberet Deum. Dii autem illi non putabantur esse alii, quàm viri de gente suâ præclarè meriti, qui post mortem suam apparuissent superstitibus, quâ in re mille fraudes Diaboli interveniebant (l). *Mexicanis* præter Vizlipuzli & Tlallok, tertius majorum gentium erat *TEZCATLIPUCA*. Fingebatur *vir, cæsarie prolixâ decoratus, crinibus extremis in aurum innodatis, & appensâ aureâ aure, in quâ fumus depictus preces notabat. Eidem in dextrà erat speculum, in quò omnia, quæ ubique gererentur, intueri posset; in sinistrâ* 4. *sagittæ* (m). *Iracundo vultu, tanquam Deus pœnitentiæ præstes, aut qui peccata remittere posset, severus*. Artis materia, lapis ater & nitidus (n). Iconem vide apud Gottfrid. Hist. Antip. P. 1. p. 36. Aliud insuper idolum memoratur *Quecadquaal*: aliud *Horchilouos*, (vel *Horcholiuos*,) *dextro brachio scutum, sinistrâ manu gladium erectum gerens*, ex omni seminum contusorum genere coagmentatum, & sanguine cordium humanorum subactum (o). Picturam Kircherus producit T. 1. Oed. Syntagm. 5. c. 5. p. 422. *Ometochtli* eorum Baccho (p) respondebat. Ad lacum Mexicanum civitas erat *Chulula* (al. Cholula (q)) magna; singulare superstitionum gentilium sacrarium & longè antiquissimum. Plurimis templis erat decorata, cum suis turribus, quas dies anni numero æquasse ferunt, adeò ut memoriæ proditum fuerit, 6000. infantum utriusque sexûs ad aras cæsa & dæmonibus immolata fuisse singulis annis (r). In sublimi fano quodam à mercatoribus Plutus quidam sivè Mercurius colebatur, nomine QUETZAÆLCOALT h. e. *Serpens è plumis preciosis*, diversiformis.

(k) *ib. p.* 134. *ex Joh. Smith.* 1622. & 1623. (l) *Arch. Cosm. p.* 275. (m) *Ursin. Theol. Symb. symb.* 1. (n) *Moseman. l.* 1. *Amer. p.* 31. *Gottfr. Hist. Antip. P. I. p.* 32. (o) *Kirch. T.* 1. *Oed. s.* 5. *c.* 5. *p.* 421. (p) *Laet. V.* 9. *p.* 239. (q) Roß *p.* 204. (r) *Laet. V.* 7. *p.* 237.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Corpore virum, vultu avem referebat, rostro rubenti, cristatam. Os unicâ serie dentium, & linguâ exsertâ conspicuum erat. Caput pileo pyramidato, & in chartâ pictô tegebatur: crura auro plurimo onusta: nihil absque mysterio adhibitum (s). Divæ cujusdam filium, fortem venatorem *Tlascalenses venatûs præsidem* crearant. Portabatur aræ impositus, *plumis caput ornatus, dextram clavâ, lævam tribus telis armatus* ad venationem. In montis vertice sub scenâ frundeâ deponebatur, spectator futurus venationis. Feræ sæpiusculè super altare, in quo sedebat, sese proripiebant. Corda captarum ei extrahebantur loco victimæ. His peractis in delubrum suum cum tibiarum concentu reportabatur, convivioque peracto, choreis honorabatur (t). *Peruvianorum* quemvis, pro facultate suâ, Deum quoque suum habuisse, historiæ narrant (u). *Chilenses* præter Pillan suum, MURA-POANTAM, Lucinæ cujusdam instar, implorant, quoties matrimonia ineunt (x). MARUAPOANTE numen illud jugatinum appellat G. Marggravius (y), additque, barbaros credere, uxores suas ex Maruapoante gravidas fieri. Indicat ipsis etiam, uti nugantur, quando potissimùm uxorem ducere, & cum eâ consuescere debeant. Interrogati verò, quomodo cum illo spiritu colloquantur, respondent, id per inspirationem fieri, aut in somniis, ubi ipsi antea cantibus operam dederint. De *Tapujis in Brasiliâ* hæc habet Barlæus p. 253. In regii tentorii medio suspensa *Calabassa* est, sive sacrorum pyxis, quam accedere absque Regis permissu nefas. quisquis impetrat, tabaci illam fumo, velut sacro suffitu adolet. Continentur illâ, quæ non nisi cum reverentiâ vident, lapides *Cehuterah* dicti, & fructus *Titscheyoub*, quos plus auro pendent, iis inesse sanctum aliquid & providum existimant, iis gravium bellorum & facinorum eventus explorant.

§. XLII.

(s) *Gottfr. Hist. Antip. P. 1. p. 33.* (t) *ib. & p. 34.* (u) *Arch. Cosm. l. 1. p. 257.* (x) *Barlæ. p. 270.* (y) *Lind. p. 1134.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

§. XLII. Miro mentis ſalo & cogitationum diſſenſione nonnullæ *Septentrionis gentes* (z) in diverſas ſententias carpebantur ac diſtrahebantur. Quicquid primo diei diluculo in cœlo, terrâ vel aquis vivum apparuiſſet, hoc ipſum usque crepuſculum ejusdem diei, pro numine fideliter adorabant. In conſiderationem veniebant aves, piſces, ipſi ſerpentes & vermes, Cervus præcipuè volans, qui ob cornua, quibus capita juvenum exornabantur, in precio erat. Inconſtantia hæc conſtans cum ſelectione quâdam, adhuc in Indiâ obſervatur. Quodcunque *Goenſibus*, ubi primùm pedem manè domo efferunt, occurrerit, ſive anſer fuerit, ſive aſinus, adorationis devotione colitur: Cornicum tantummodò ibi frequentium, occurſationi tantam ſcævitatem adſcribunt, ut adſpectu earum perterriti, tota die in ædibus ſuis lateant (a). Idem *Philippinarum* incolis in uſu eſt: cum hoc tamen diſcrimine, quòd non cornicis, ſed lacertæ, aliusvè vermis obtutum inauſpicatum ducant (b). *Javæ* item *majoris* (c), regnique *Ferlech* in Javâ minore (d) ſeſſores his ſuccenturiantur: de delectu tamen apud autores ſilentium. Noviſſimè quidam tantopere mente prolapſi ſunt, tantisque tenebris animum ſuum involverunt, ut, quæ nullâ ratione eſſe poterant, aut unquam conſpecta eſſent, ea excogitârint, & numina fecerint. Bruta quippe & rationabilia animalia invicem permiſcentes, & in unam ſpeciem contrahentes, pro diis colunt. Illuſtres apud Ægyptios fuere canicipites, ſerpenticipites, aſinicipites: in Libyâ Jupiter, ſive Ammon, vervecino capite configuratus (e). Pauli Veneti tempore *Zipangrii*, ſive *Japones* varias colebant *manias*: alias *bovino*, alias *porcino*, alias *canino capite* truces: *quadrifrontes* item alias, alias *tricipites*, qualis figuræ ſu-

(z) *Olaus M.* III. 2. (a) *Arch. Coſm. l* 1. *p.* 245. Roß *p.* 163. (b) Roß *p.* 172. (c) *Vartom. VI,* 28. (d) *Venet. III,* 14. (e) *Athanaſ. orat.* 6. *Julian.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

pta quoque §. 29. mentio interserta, alias denique, quæ *unam collo, duas in humeris facies* ostentabant. *Manibus* præterea aliæ instructæ erant 4. aliæ *viginti*, aliæ *centum*: & *quò plures manus efficta essent, eò veriores Dii* judicabantur (f). Terriculamentum me tibi depingere, non idolum puta, quod principale in *Hispaniolâ* colebatur. *Quinceps* illud erat; *cervino capite, bina utrinque serpentis & canis exsuperante. Pectus mammis dependentibus, inguen vultu ardente deformabatur. Dextra ungula ramulus insertus, sinistra tridens. Crus dextrum sinuoso anguis volumine implicatum, caudâ ad pedes, ungulis similes, desinente: à sinistro fœmore anguina pariter cauda dependebat* (g). Exhorrescimus ἐνέργειαν πλάνης, *efficaciam illusionis* (h), quâ non pauci in medio etiam ecclesiæ gremio olim occæcati fuere, hodieque occæcantur. Propositum nobis non est, in Judæorum veterum idololatriam excurrere. Ignis Jehovæ Tzijone (i) erat, & furnus Jeruschalaimis. Obtestatus eos fuerat Deus vel sexcenties, ne simulacra colerent, aut coram sideribus sese incurvarent. Confer Exod. IV, 4. Deut. IV, 16. 19. Surdis narrabatur fabula. Pantheon Terram Sanctam dixeris. Divinum audi testimonium: מִסְפַּר עָרֶיךָ הָיוּ אֱלֹהֶיךָ יְהוּדָה *Secundùm numerum civitatum tuarum fuerunt dii tui Jehuda:* Jeremias (k) exclamat. Et meritò. Omnium propè populorum, tàm indigenarum, quàm alienigenarum diis inde ab eductione ex Ægypto, servierunt. Vide Amos. V, 25. 26. Act. VII, 42. seq. Sacrificaverunt Dæmonibus, non Deo: diis, quos non noverant: novis, qui è propinquo advenerant, quorum metu non horruerant majores eorum (l). Incurvabant se exhibentes honorem Planetis (m), totiq; exercitui cœlorum (n). Soli, Persarum more, (o) equos & cur-

(f) *Venet. III*, 7. (g) *V. Hist. Antip. P. 2. p. 246. ex Vesputii navig.* 2. 1499. (h) 2. *Thess.* II, 11. (i) *Jes.* 31. 9. (k) *c.* II, 28. *c.* XI, 13. (l) *Deut.* 32. 17. *Ps.* 106, 37. (m) 2. *Reg.* 23. 5. (n) *c.* 17, 16. *c.* 21. 3. (o) *Justin.* I, 10, 5.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

& currus dicaverant (p). Argentum imagine ejus signabant Romani. *Bigatum* in Antiquario Gerhardino visere licet, cujus antica pars *vultu radioso*; postica *Bigæ domitore, inter palmas & sagittam lævorsum medio*, insignita est, cum subscriptione: PLANCUS. Lunæ, quam מלכת השמים *reginam cœli* nominabant (q), popana offerebant mulierculæ (r). Apidis cultum, in deserto dudum exsecratum (s), resecrabat Jerobeam, (t) Sisaci Ægyptiorum regis supplex (u); eo ipso honorem suum (Deum) in formam bovis comedentis herbam commutans (x). Serpenti æneo, quem Moses (y) fecerat, ad Chizkijæ usque tempora (z) adoleverant. Quin, in Levitarum atrio omnibus formis reptilium & jumentorum detestandorum, omniumque stercoreorum deorum, expresfis per parietes, thura accendebant (a). Baalem & residuas gentium terriculas sciens prætereo. Defunctorum saltem ἀποθεώσεις ex Ægypto non accerserant. Ibi namque regum condita cadavera instar numinum adorabantur, & ab iis dæmone animatis responsa petebantur (b). Sed & Noachi statim ætate antediluvianâ hanc denatorum inaugurationem cæpisse, fidem faciunt Arabes: modò fides iis habenda. In Suratâ *Noachi*, LXIX. p. 326. enumerantur V. ejusmodi idola, ab Arabibus etiam successu temporis recepta. 1. ودّ *Wodda* Kelbitis: (c) 2. سواعا *Sewaha*, Hudeilitis (d): 3. نسر *Neser*, Dulkelaitis, in Hamjaridum terrâ (e): 4. يغوث *Jaguth* (f) & 5. يعوق *Jauk* (g), aliis quibusdam in veneratione fuisse dicuntur. Beidavi p. 962. hæc *nomina* tradit esse *virorum bonorum, qui inter Adamum & Noachum vixe-*

(p) 2. *Reg.* 23, 11. (q) *Consul. Dn.* Frischmuth/ *disp. de Melech. Cœli c.* 1, *§.* 4. (r) *Jer.* 7. 18. *c.* 44, 17. *seqq.* (s) *Ex.* 32, 20. (t) 1. *Reg.* 12, 28. *seqq.* (u) *c.* 11, 40. (x) *Ps.* 106, 20. (y) *Num.* 21, 8. 9. (z) 2. *Reg.* 18, 4. (a) *Ez.* 8, 10. *seqq.* (b) *Kirch. T.* 1. *Oed. s.* 4. *c.* 3. *p.* 261. (c) *Gol. Lex. p.* 2640. (d) *ib. p.* 1237. *ex Giauh.* (e) *p.* 2359. *ex eod.* (f) *p.* 2764. *ex Camus.* (g) *p.* 2763.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

vixerint. Cumque mortui fuissent; subjicit, *figurâ exprimebantur, ut ab iis benedictio haberi posset. Tractu temporis coli cœperunt: atq; idipsum ad Arabes translatum est. Volunt quidam Vodda repræsentatum esse figura viri:* (وُدّ amor, amicitia, amans:) *Sevaha, figurâ mulieris:* (سُواع prima quies.) *Jaguth, figurâ Leonis; Jauk, figurâ equi: Neser, figurâ aquilæ,* (نَسْر aquila.) Paulò aliter Kessæus in vitis Patrum p. 17. *Assumserunt*, inquit, (filii Cain) *quinq; idola, quæ iis Satan effinxit ad formam Kabel* (i. e. Caini,) *& filiorum ejus, qui sunt Vodda, Sevaha, Jaguth, Jauk, Naser. Hæc enim nomina sunt filiorum Kabel, super quibus maledictio.*

§. XLIII. Non attendunt suspectam imaginum originem (h) miriones earum Pontificii, cùm tenebrarum quoque filius (i) scribserit: ليس في كتبهم حرف من شرع التصوير ولا من السجود للتصاوير * h.e. *Inscribturis Christianorum ne litera quidem est, quæ sanciat vel fabricam imaginum, vel adorationem:* & iconolatriæ statuminatores (k) ipsi fassi fuerint, *Saracenos & Judæos propter imaginum cultum alieniores à Christianorum religione esse factos.* Nam quid canonizationem cinerum memorem? quâ sancti à Papa, ut exemplar fidei & vitæ sanctæ, & ab omnibus adorandi & in necessitatibus invocandi proponuntur (l). Sanè considerare deberet P. M. ad actionem non sufficere voluntatem, sed correquiri etiam facultatem. Unde verò eam pro-

(h) *Sap. XIV, 14. seqq.* (i) *Ahmed Ibn Edris p. 179. cit. Hott. H.E. Sec. XVI, P. 2. c. 2. p. 104.* (k) *Synod. VII. act. 4. Chemnic. in Exam.* C. T. *P. 4. p. m. 60.* (l) *Anton. P. 5. Summ. tit. 12. c. 8. cit. Chemnic.* C. T. *P. 4. p. m. 1.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

probaturus est? Lege divinâ prohibetur, Deut. IV. 2. c. XII. 32. Apoc. XXII, 18. 19. Humana frustrà prætenditur, Matth. XV, 9. Nisi prodere velit, se esse ὑπεραιρόμενον ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν, ἢ σέβασμα, (m) *qui effertur adversus omnem, qui dicitur Deus, aut numen.* Satis certè pro imperio est, triumfantis ecclesiæ tribunal invadere, & Beatis manibus provinciarum sortitionem præscribere. Nihil istâ frequentiùs. Nuper admodum Evangelicis etiam in Silesiâ festum HEDWIGIS, PATRONÆ SILESIÆ, solenniter celebrandum imperatum est. Miseros vero Silesios, qui ante piæ Principis natalem, aut emortualem potiùs diem, clientelâ orbati, unô in cœlesti curia caruere suffragio! ὑπερδουλεία B. Virginis Deiparæ in aprico posita est. PATRONAM eam HUNGARIAE, aliarumq; provinciarum in numis legimus. *Clavis Cœli est*, judicio Francisci de Mendoza (n), *ut aperiat, ut Dei misericordiam effundat.* Clariùs cum aliis Fr. Didacus de Yangvas, (o): *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ dicitur, eò quòd OMNIS gratia, OMNIA miserationis Dei dona ab ipsâ, ut à matre, fidelibus proveniunt.* Et paulò post (p): *Hæc est UNICA mater gratiæ, & non est alia, præter ipsam.* His admissis, terminus productus erit omnis gratia, omnis misericordia: caussa procreans, Mater semper-virgo. Influit ergò hâc ratione, ad gratiæ divinæ effusionem caussalitate vel physica, vel morali. Prius asserere, durum admodùm est, & scripturæ ignotum. Vide 2. Cor. I, 3. Joh. 1. 16. 17. Act. 4, 12. Posterius demonstratu difficile. Aut enim movet Deum, ad misericordiam, eodem modo, quo cæteri sancti: & sic plures erunt matres misericordiæ; ipsa verò non unica. Aut alio planè modo, sc. ut augusta & imperatrix cœli, ad cujus thronum misericordiæ appellet gravatus à throno Dominicæ justitiæ, uti blasphemè scribit Januensis Archi-

(m) 2. *Thess. II, 4.* (n) *T. II. in 1. Reg. 4. n. XI. annot. 12. circa lit. sect. 2. p. 218. c.* (o) *in Promtuar. Concion. l. 3. p. 746.* (p) *p. 747.*

Archiepiscopus. Conferantur B. D. Hülsemannus, (ad cujus pedes quod sederim, in magna felicitatis meæ parte pono,) contra Hagerum, disp. XVIII. in A. C à p. 920. seqq. D. Menzerus in Exeg. A. C. p m. 857. seq. & qui primo loco nominandus erat B. Chemnic. in Exam. C. T. P. III. à p. m. 236. seqq. D. Georg. Zeæman in der Gründlichen Ableinung/p. 150. seqq. Nos B. Virginem, duce Scriptura, cum Armenis (q) agnoscimus esse [Armenian] *corporeum templum Dei.* Nequaquam verò eam ex salutatione Angelicâ interpolatâ interpellamus, ut *suâ intercessione nobis assistat, quò omnia illa, quæ in Oratione Dominicâ petierimus, consequamur, quasi apud Christum potentiorem advocatum & mediatorem sanctissima matre ejus non habeamus.* Uti quidem Petrus Paulus, Sacerdos Armenus, fratres suos instituere satagit in Doctrinâ Christianâ, in linguam Armenam versâ, & A. 1634. Lutetiæ Parisiorum impressâ. Quem librum ibi Rev. adm. atque Excell. Dn. Præses ex superfluis libris Bibliothecæ Card. Mazarini, A. 1650. in usum tùm suum, tùm studiosorum, redemit. *Marianitæ* olim fuere hæretici, qui, testibus Elmacino p. 227. & Patricide p. 120. dixerunt, *Christum & Mariam duos esse Deos, præter Deum.* V. Hotting H. O. II, 2. p. 343. De Melkitis etiam Abunazarus p. 149. scribit, eos credere بالاله

ثلاثة مريم وعيسى والاله ❀

tres Deos, Mariam, & Isa, & Deum (r). Num de Collyridianis, aliisvé Mariolatris loquantur auctores, in præsens non disquirimus: addimus saltem, quid de Mariæ, aliorumq; Sanctorum invocatione sentiant Muhammedici. Digna memoratu sunt, quæ scribit Ahmed Ibn Edris Q. 72. p. 189.

يقرون

(q) *Rivol. p. 23.* (r) *ib. p. 244.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

يقرون في الصلاة المغرب يا والدة
الاله العذرى اسعي في كل امنا
وافرجي يا والدة الاله مباركة
انتي في النسا ومباركة ثمرة
بطنك لانك ولدت لنا مخلصنا يا والدة
الاله لا تغفلي عن مسايلنا ونحن
من المعاطب وفي هذا الصلاة يا صابغ
المسيح يوحنا اذكر جماعتنا ونجنا
من المعاطب فصار الههم ستة الاب
والابن والروح القدس ومريم
والمسيح عليم *

Legunt in precibus vespertinis: O Dei genitrix virgo, festina ad liberationem nostri; depelle mærorem, ô genitrix Dei, benedicta tu inter mulieres & benedictus fructus ventris tui: Tu enim genuisti nobis Servatorem nostrum: ô Deipara, ne respuas preces nostras, qui sumus afflicti. Et in eâdem precatione: O Baptista Messiæ, Johannes, memento nostri cœtus, & libera nos ab afflictionibus. Et ita DII eorum SEX sunt, PATER, FILIUS, & SPIRITUS S., MARIA, MESSIAS & JOHANNES (s). Quæ verba, quæso, prolaturus esset, si Rev. P. F. Andreæ de S. Theresiâ (in Scribturis verè Tiresiæ (t)) concionem de B. Josepho, in Αρχιποιοφρεαρχον Boariæ noviter electo (neuerklärter Obrister Lands-Burggraf über das Durchleuchtigiste Chur-hauß und Ho. löbl. Hertzogthum Bayrn/) oculis usurpare licuisset, quæ superiori anno 65 *cum licentiâ Superiorum* in lucem prodiit. Ut legi,

 obstu-

(s) *apud eund. H. E. Sec. XVI. p. 2. c. 2. p 105.* (t) *Matth. XV, 14. c. XXII, 29.*

Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.

Tot & tantis scatet blasphemiis, & ut mollissimè dicam, ἀκυρολογίαις, ut Christiano Lectori frustrà ardorē Seraphicum (u) & virtutem Apostolicam (x) jactaverit, præoptaverit. Ad vivum secare nolo hyperbolas & absurda in omnibus ferè pagellis occurrentia. 1. Josephū vocat Christi Redemtoris nostri genium tutelarem, (Schutz Engel/ als der sonst keinen andern gehabt hat.) p. 3. Virum, qui commissum sibi cœlestem popellum à cruento Herodis gladio, & aliis periculis tutatus sit. p. 4. & 15. Ast hoc officium bonus Josephus sibi non sumsit. Defuncto Herode metuebat Archelaum filium ejus, & fugâ salutem meditabatur, Matth. II, 22. Alium Tutanum Christus ostendit Matth. 26, 53. 2. Ex templis Mariæ structis quasi Tilsemas facit, & averruncos Ægyptios, p. 7. 3. Sp. S. vocat Mariæ Sponsum primarium, p. 13. Josephum ejus vicarium, pag. 14. consponsum, p. 28. Sed sic partus virgineus non solùm Josephi, sed & Sp. S. dicetur filius. An ex hoc fundamento, quod Photinianis in usu est, quia Sp. S. in conceptione Christi vices viri suppleverit? 4. Grandem sibi ipsi dicam impingit. P. 13. asserit: Sp. S. *jure* inhumanari debuisse, (von rechtswegen einvermänscht werden.) p. 14. negat, hoc ipsum *decuisse.* An quod jure fieri debet, non decet? Sed unde jus illud incarnationis Carmelitæ innotuit? Sanè ἐξ ἰδίας ἐπιλύσεω, *privatâ interpretatione*, 2. Pet. I, 20. 5. P. 14. Marti, dæmoni illi gentium, Sp. S. comparat. Quis credat, eum ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενον à Sp. S. impulsum? Quô verò genio adactus hæc inculcat verba sæpiculè: Duabus DIVINIS PERSONIS inhumanatæ creatæ Trinitatis, JESU nempe & Mariæ, adjunctum eum esse tertiam personam? in Dedic. A. 2. b. p. 3. & 13. An ejusdem dignitatis homines cum Christo sunt Maria & Josephus?

(u) *p.* 1. (x) *p.* 2.

phus? Num à Sp. S. concepti? Mariæ equidem immaculata conceptio publico Alexandri VII. diplomate injuncta est. An hic eo ſenſu Joſephum aſſerit in gratiâ DEI genitum (in der Gnaden Gottes geboren/) & confirmatum? p.3. An & ſic quoque ſecundæ Trinitatis perſonæ uniti? Hoc enim ad æqualitatem Perſonarum pertinet. Ut eſſentiæ unitatem numericam taceam. P.5. negat equidem, ſe poſſe Joſephum Deum nominare; ſed reipsâ Deum eum verbis ſuis dare allaborat. P.5. Seraphinos & Cherubinos advocat, ut debitâ ſubjectione glorioſo ſuo Joſepho appareant, & concinant: Sanctus, Sanctus, Sanctus! Atqui τρισάγιον hoc Trinuni Deo debitum, Jeſ. VI, 1. ſeqq. Apoc. IV, 8. Prædicat Joſephi cunctipotentiam (die Allvermögenheit) interceſſionis p. 1. 26. & 27. imperii p. 8. ſuper totum mundum, & in omnes creaturas p. 10. etiam in Filium Dei p. 13. Jeſum, qui cum Mariâ ei obſequioſè miniſtret, p. 12. Protectionis denique (allvermögende Schutzhand) p. 27. qui ipſa Dei verba ſua faciat, Bavariamque ſic alloquatur: Noli timere: Ego ſcutum tuum, ego honor tuus, Gen. XV, 1. quo nomine ipſi etiam provincia Boariæ commiſſa fuit. Circa quam nihil aliud moneo, quàm illud, neceſſariam nempè eſſe, ad patrocinii delati executionem, conſensus Joſephi certitudinem. Civis equidem cogi poteſt in Republicâ ad magiſtratum ſuſcipiendum (y), verùm ſi ſit ejusdem conditionis: quod in Joſepho non videtur procedere. Confer Jothami apologum, Jud. IX, 8. ſeq. Eſto igitur, Joſephus (quod nondum indubitabile,) reſcierit vel ex relatione per angelos, vel ex ſpeculo Trinitatis, vel ex ſingulari divinâ revelatione (z) deſiderium illud in terrâ degentium, & electionis ſuæ elogium: quid ſi cum Gideone reſponderet (a) לֹא אֶמְשֹׁל: אֲנִי בָּכֶם יְהוָה יִמְשֹׁל בָּכֶם: *Non dominabor ego in vos: Dominus*

Y 2 *minus*

(y) *Ariſt* 2. *Pol.* 9. *p.m.* 198. *Boxhorn. de R. l. diſſ.* 2. *§.* 5. (z) *Bellarm. l.* 1. *de ſanct. beat. c.* 20. (a) *Jud. VIII,* 23.

minus dominabitur in vos. Adde Pſ.L,15. Jer.XVII,5.ſeqq. Valde enim vereor, ut oneri huic fetundo par ſit. Si enim fiducia, ut concionator loquitur p. 8. & 20. ſecurè in eum collocanda, in omnibus periculis, Turcæque inſultibus, p. 19. ſi ſemper vigilem oculum Bavariæ intenſurus eſt, p. 24. minimùm oportet ipſum eſſe multipræſentem, ſi non eſſentiâ, tamen cognitione & operatione: quod demonſtrandum erit. Si non firmioribus rationibus adſtruitur, ac poteſtas Joſephi multimoda; deſtruitur. Quæ enim conſequentia eſt, p. 9. ſeq. Chriſto omnes creaturæ PARENT: Chriſtus PAREBAT B. matri virgini: B. Virgo PAREBAT Joſepho; caput enim mulieris vir eſt (c): E. Joſepho totus orbis PARET? Ejusdem firmitudinis, cujus altera hæc, quam ex Joh. Gerſone citat p. 26 Dum vir, dum pater orat uxorem & natum, velut imperium reputatur. Diſpar planè eſt ratio inter φιλάνθρωποι, & θεάνθρωπον. A ſtatu præteriti temporis ad temporis præſentis ſtatum nec in humanis V. C. Conferat Rhetor, profanis nimiùm delectatus, Gellium II N. A. 2. p. m. 67. ſeq. Val. Max I, 2, 4. Quâ ratione igitur procedet argumentum à ſtatu exinanitionis Chriſti, ad ſtatum exaltationis? Et dum in terris agebat, paruit Parenti, ſed usque ad aram quod dicitur. Luc II, 49. Joh. II, 4. Nec ſequitur: Maria Joſepho deſponſata in terris paruit: Joſephus Mariæ caput fuit in terris: E. hic in cœlis quoque ejus caput eſt: E. illa in cœlis adhuc Joſepho paret. Anne in beatâ vitâ matrimonia contracta durant? Matth. 22, 30. Annè copula conjugalis morte non ampliùs diſſolvitur? Rom. 7, 2. 3. Sublatâ formâ, aliàs tollitur quoque formatum. Sed ne parcus ſit in præconio Joſephi, *Salvatorem* eum conſtituere laborat p. 5. *Redemtorem*, p. 6. *communem mundi Con-Salvatorem* (**allgemeinen Mit-Heiland der Welt**) p. 7. adde p. 4. Rationes ejus

(c) 1. Cor. XI, 3.

ejus frivolas adducere nihil attinet. Vid. p. 5. seqq. Eò tandem res redit, ut *salutis nostræ cooperator dicatur, quòd Jesuli nostri pater consilio fuerit.* Sed sic in translatione Gen. III, 15. frustrà *studiosè caverunt correctores Romani, ne fœmininum IPSA, quod à vetere Interprete datum fuit, mutarent cum masculino IPSE aut neutro IPSUM, QUANQUAM CLARIORIBUS SENSU* (c). Si enim canon ille philosophicus: *Caussa caussæ est etiam caussa caussati*, sine omni restrictione accipiendus erit, tàm facilè Josephus pro Mariâ per illud הוא subintelligendus fuerit, ac Maria pro semine mulieris substituitur. Maximè verò ridiculum est, quòd comparatione hujus Josephi, cum Josepho Ægypti Pro-Rege institutâ, prædicatum Redemtoris eô stabilit, quòd *Pharao Josephū* [illegible]uum, juxta Vulgatam, *vocavit linguâ Ægyptiacâ salvatorem mundi* (d). Evolvere debuisset Discalceatus Jesuitæ Kircheri, in hâc linguâ exercitatissimi, Prodromum Coptum, ubi c. V. à p. 124. ad 131. operosè ostendit, voces Ebraicas צָפְנַת פַּעְנֵחַ *Zaphenath Paaneach*, ex genio linguæ Coptæ aliter explicari non posse, quàm *futurorum vatem.* Nam ⲯⲟⲛⲑⲟⲛ ⲫⲁⲛⲏⲕ, uti Pentateuchus Ægyptiacus in Bibliothecâ Vaticanâ legit, est ipsissimum ⲯⲟⲙⲑⲟⲙ ⲫⲁⲛⲏϫ quod LXX. retinent, & ψον-θομ-φαγχθῆ *Psonthomphanchthi*, quo nomine, fide Chronici Alexandrini (e). Moses ob prodigia patrata cohonestatus fuit ⲯⲟⲛⲧⲉⲙ verô *futura*, ⲫⲁⲛⲏϫ *vatem* vel *augurem* significat. Id quod etiam versiones & explicationes tùm Targumicæ & Syriacæ, tùm Arabica, ibi adductæ confirmant. Armenica saltem Vaticana h. l. legit Ֆսուտ *Fesuut*, (aut *Fsout*) ignotô etiam Armenis Romæ degentibus vocabulo. Ubi omnia Magnus vir eruditissimè: in Syriacis saltem vertendis ad eruditorum palatum non est p. 128. seq. & Hebræum loci allegati textum,

(c) *Correct. Rom. p. m.* 1. (d) *Gen.* XLI, 45. (e) *f.* 179. *edit. Græcolat.*

Samaritanô charactere ſcribtum, pro verſione Samaritanâ venditat. Quamquã nec illud Kircheri מגלה· כסיא in Textu Hebræo-Samaritano ſcribtum ſit, juxta Londin. ſed. מגלה מכמתא כסיא Chaldæo Samaritana autem verſio legit: ࠌࠂࠋࠄ ࠈࠌࠉࠓࠕࠄ *abſconditorum revelator.* Sed hæc παρέργως, ne quis ſcribentis autoritate decipiatur. Quod ſi jam, ut ſuæ religionis homo feliciter evicit, Joſephus Jacobi filius, non Salvator mundi, ſed futurorum vates dicitur, arenam nectit Carmelita: cum quo B. Joſephũ, qui Meſſiæ noſtri curâ pater fuit, ad divinæ majeſtatis ſiniſtrã (p. 5.) locare non auſim. Læva enim in ſacris bonæ adeò ſcævæ non eſt, Matth. XXV, 33. nec integrum nobis, extra divinam revelationẽ ingenii noſtri ſuavi ludia pro verbis prætoriis populo Dei obtrudere. Vix credo, cordatioribus Pontificiis probari electicios illos Artium Præſides & adverſitatum ſingularum ἀποτρoπαίους, quos longâ ſerie p. 8. & 9. enarrat. *Congregationem ſanctiſſimæ Trinitatis nobilium* excipio, quæ *ſingulis menſibus aliquem ſibi ex Beatorum cœtu ſortitur, cui illo tempore plus cæteris honoris & obſequii impendit.* Laudabilis hæc conſuetudo videtur Don Franciſco Torreblancæ Villalpando (f), adeò ut eam etiam egregio dicto corroboret. *Nam,* ſubjicit, *ut ait Ovid. l. 2. Metamorph.*

——— Placuit cœleſte precari
Numen, & auxilium per ſacras quærere ſortes.

Quid verò aliud agunt hi in univerſum omnes, quàm ut apud orthodoxos juſtum dolorem, apud infideles nominis divini profanationem concitent. Dudum profectò Ahmed Ibn-Edris, Muhammedologus, Chriſtianis non ſine luctu legendum, ſcribſit (g): وان طول بهم السمان بارت الهتهم لا تعى ولا تخصب *

Tempo-

(f) *Dæmonologiæ I, 22. p. 126.* (g) *Hott. H. E. Sec. XVI. p. 2. c. 2. p. 105.*

Temporis progressu Dii eorum nec numerari, nec recenseri poterunt. Contrà Turcæ Lutheranis (ut vocamur,) minus succensent, quòd TRES tantùm DEOS (quamvis falsò,) nos habere credant (i). Subtilior idololatria vulgò *Amoletorum* certorum, Sigillorum superstitiosorum & Characterismorum usu committitur. Quæcunque de illis prodita sunt, hic compilare haut opus est. Consulantur Martinus Rulandus in Lex. Alchemiæ, voce: *Pentacula*; Nobiliss. Dn. Sachs, Gammarol. c. 9. p. 859. seqq. Kircher. de Peste, sect. 3. c. 5. p. 331. seqq. Unum hîc ex Rarithecio Gerhardinô subjungimus, quod mirum est Kircheri diligentiam fugisse. Fusum verò, vel cusum potiùs, est ex argento, formâ ovali, & utraque facie hi characteres incisi sunt:



Demirandum sanè, hanc pestem à tot retrò seculis ad hunc usque diem impunè grassari. Proximâ namque cognatione *Sigilla ad horoscopum sculpta*, Zabæorum attingunt *Tilsemas* (k), Hebræorum *Teraphim* (l), Ægyptiorumque *Serapes*, Horos sive Harpocrates & Isidis imagunculas: qualem ex argillâ subviridi, fasciis Mumiæ Crusianæ erutam, apud Wratislavienses observavit Silesiæ decus B. Gryphius (m). Confer Gen. XXXI, 19. 2. Maccab. XII, 40. Add. Ægidius Guetman / in tract. cui tit. Offenbarung Göttlicher Maj. l. 3. q. 3. Magicus Hebræi contextûs S. abusus inter Judæos, Muhammedanorumque κακοζηλία (n) in propatulo sunt. Corano enim suo conscribto utramque salutem adscribunt hi sacrilegi. Utriusque exempla in Antiquario Gerhardino asservantur. Duplex est Judaicum. Alterum,

præter

(i) *Sal. Schvveigger Itin. III, 29. p. 290.* (k) *Hotting. H. O. I, 8. p. 285. seqq.* (l) *ib. p. 296. seq.* (m) *Mum. VVratisl. p. 52.* (n) *Hott. de Num. Orient. p. 169. seqq. Joh. Ulric. VVallich. de Relig. Turc. p. 4.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

præter alia, in membranâ quadratâ exhibet 6. commata ex Deut. VI, 4. 9. Initium sic perscribtum est: שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד Alterum primos 10. versiculos ex Exodi c. XIII. continet: literæ pariter, ut in priori scribturâ, exornatæ sunt apicibus, quos תאגין Philologi vocant (o), atq; ita etiam κεραίας illas Matth. V, 18. quidam interpretantur. Muhammedico, (à pl. Rev. Dn. Matth. Langio, Ecclesiaste Semproniense in Hungaria, Dn. Præsidi transmisso,) post hæc verba in frontispicio: فى سنة عام سماوات السبار reliquæ literaturæ sexies præmittitur symbolica illa librorum Muhammedicorum ἐπιγραφή: بسم الله الرحمن الرحيم *In nomine Dei miseratoris misericordis.* Ex Judæorum scholâ sequentia etiam prodiere: † *Eleii* † *Eloi.* † *Eloi.* † *Adonai.* † *Sabaoth.* † *Elio.* † *Saba.* † *Emanuel.* † *Messias.* † *tetragrammaton* †. Item: *Agla* † *Astram.* † *tetragrammaton.* Usum in schedulâ forte fortuna inventâ adscribtum, utpote Christiano homine indignum, cum περιέργοις (p) Ephesiis Vulcano consecrare satiùs duxi, quàm cum animarum jacturâ propagare. Æquè enim ista, atque hæc, incantationes sunt, per quas aliqui ex magnis periculis se servare, & victorias reportare posse, vanè credunt. Primus ramus hæc amoleta sunt magiæ Ægyptiacæ, ex orco revocatæ, (uti benè literas Ephesias nominat Kircherus T. 2. Oed. P. 2. cl. XI. c. 6. p. 459 de quibus etiam in specie agit ibid. p. 469. seq. Adde Junium not. ad N. T. Syriacum Act. 19, 10. p. m. 257. Dn. Dilherr. Eclog. S. pag. 354. seqq.) Unde etiam Lucæ verba: τῶν τὰ περίεργα πραξάντων, Syrus vertit: ܚܪ̈ܫܐ *mago.*

(o) *Vid. Buxt. Lexico Rabb. Talm. p. 2562. Schickardus in* מהם *p. 41.*
(p) *Act. XIX, 19.*

magorum : Arabs itidem الاسحار صانعب *magicarum artium cultores*. Cæterùm Amoleta Gnosticorum recenset Kircherus T. 2. Oed. P. 1. cl. 4. c. 7. p. 284. P 2. cl. XI, c. 6. p. 459. Ægyptiorum ibid. P. 2. cl. XI. c. 4. p. 445. Cabalistarum P. 1. cl. 4. c. 10. §. 1. p. 343. seq. P. 2. cl. XI. c. 7. §. 2. p 474. seqq. Muhammedanorum ex literis Indicis P. 1. cl. 5. c. 4. p. 373. seq. & arcanis c. 6. p. 383. Amoletum universale, c. 7. p. 391. Sigilla itidem, ♄. c. 8. p. 391. ♃. p. 394. ex literâ ç. c. 10. p. 399 Salomonis, ib. p. 397. Confer P. 2. cl 7. c. 6 p. 370. seqq. Telesmata demûm, sive potiùs Tilsemas P. 1 cl. 5. c. 9. p. 395. seq. quæ indicâsse sufficiat. Sequitur jam

§. XLIV. THESIS II. *Deus Ens est simplicissimum, omnimodè immutabile, atque æternum.* Qui independentiam omnimodam intellexerit, facilè nobiscum consentiet. A se qui existit, à quô compositus fuisset? Utrum à seipso? Sic fuisset, antequam fuisset. An ab alio? Sic posterior aliô esset: sic passus fuisset. Sic DEUS non esset. Utrum ex aliquo & per aliquod? Ad hoc imperfectionis symbolum quis imaginationes suas diduxerit? Corpore ens perfectissimum indueret, enti primo effectorem adscriberet. Num propter aliquid? Ejusdem absurditatis opinio hæc damnanda. Finis enim intentio absque agente concipi nequiverit. DEUS itaque absoluta est simplicitas, quæ omnem ex diversis rebus unionem aut coalitionem negat. Actus est purissimus, à quô omnis excluditur potentialitas, qui prima rei est actualitas, non formalis, aut actuans aliquid, sed in se actu existens (q). Unico hoc vocabulo Architheologus subinnuit, dum Deum SPIRITUM nuncupat Joh. IV, 24. Adde 2. Cor. III, 17. Et hac ipsâ spiritualitatis naturâ ab εἰκονοποιΐα absterret Moses Deut. IV, 12. 15. & iconolatras irridet Jesaias c. XL, 18.

 c. XLVI,

(q) *V. Ernest. Soner. comm. in Arist. Metaph. XII, 7. p. 624. seqq.*

c. XLVI, 5. Superiore & materiæ imbecillitate remotis, immobilitas facilè statuminatur. Unde existentiæ manat independens, interminabilis & indivisibilis duratio, quæ æternitas dicitur. *DEUS* enim *semper est, quoniam semper, præsentis est in eo temporis. Tantum inter nostrarum rerum præsens, quod est nunc, interest, ac divinarum, quòd nostrum nunc, quasi currens tempus facit, & sempiternum; divinum verò nunc, permanens, neque movens sese atque consistens, æternitatem facit. Cui nomini si adjicias semper, facies ejus, quod est nunc, jugem, indefessumque, ac per hoc perpetuum cursum, quod est sempiternitas. Prædicata enim talia sunt, qualia subjecta permiserint* (r). Extra hoc si sit, impropriè diceretur: Deus semper est (s). Adserti hujus ἀμεταπτώτου nos Scriptura reddit, 1. Sam. XV, 29. Psal. 90, 3. Fideles custodes audimus *Judæos* Art. 3. cujus hæc verba sunt: *Credo perfectâ fide, quòd Deus creator non corporeus, proprietatibus corporeis nullis præditus sit: quòd essentia deniq; corporea eidem nulla comparari possit.* Id quod jam in explicatione articuli 2. insinuârunt, unitatem hoc pacto declarantes. *Unus est Deus, non* כְּאֶחָד הַמּוּרְכָּב *sicut ens compositum:* (indivisum hoc tantùm.) *neq;*, ut גוּף פָּשׁוּט *corpus simplex:* (indivisibile hoc secundum quid, & tantùm ratione certi generis rerum.) *sed est* אֶחָד וּמְיוּחָד *unius & peculiaris essentiæ* (t). Etenim הוא יתברך איננו גוף שיהיה ממלא מקום: *Ipse* (DEUS) *benedictus non est corpus, quod locum impleat* (u). Sed *Essentia Dei vocatur* פשיטות גמורה *simplicitas perfecta* (x). Quam soliciti sint in הרחקת הגשמות remotione corporeitatis, fusè deducit Hottingerus Fascic. p. m. 343. seqq. Ἀξιομνημόνευτον Maimonidis (y) monitum:

(r) *Boet. c. 4. de Trinit.* (s) *Geilfus. Pneum. Contempl. V. th. 3. §. 2. p. m. 60* (t) *V. Buxtorf. Synag. p. m. 6. seq.* (u) *Radak in Jer. XXIII, 23. 24.* (x) Maim. *Mor. Nev. l. 1. c. 50. cit. Hott. Fasc. p. m.* 303. (y) *l. 1. c. 36. Hott. Fasc. p. m.* 347.

tum[1]: *Tu persuasum habeas,* *quòd si credas corporeitatem*[c] *vel affectiones ejus, ad Zelotypiam & iram provoces, incendas ignem excandescentiæ, hostis sis & inimicus, magis quàm idololatra.* Idem sentiunt de Immutabilitate. Maimon. More Nevoch. P. I. c. 2. *Hinc*, ait, *perficitur ejus substantia, quòd omnis omninò mutationis sit expers, sicut ipse dixit: Ego sum Dominus, nec mutor: nullâ videlicet mutatione prorsus.* De Æternitate Articulus 4. loquitur: *Credo perfectâ fide, quod Deus Creator & primus & novissimus sit, quod ante illum nihil fuerit, quod ille postremus in æternum permansurus sit*, Deut. XXXIII, 27. Jes. XLIV, 6. Mose Botril f. 45. col. 4. in c. I. s. 4. libri Jezirah: הוא קיים ונצחי מן העולם ועד העולם; *Ille subsistit æternus ab æterno in æternum* (z). Euchol og. Judaic. יגדל אלהים חי וישתבח נמצא ואין עת אל מציאותו: *Magnificetur Deus vivus, & laudetur existens, cujus existentiæ nullum assignari potest tempus* (a). Summatim hæc omnia Cabalistæ per Rasche Theboth exprimunt his literis: אר״אריתא quorum sensus אחד ראש אחדותו ראש יחודו תמורתו אחד; *unicum principium unitatis suæ, principium singularitatis suæ, vicissitudo ejus unum* (b). *Samaritanorum* de Simplicitate Dei testimonium hinc inde expressit Interpres in Chaldæo-Samaritanâ Bibliorum translatione, ubi ἀνθρωποπαθείας interdum (aliquando enim retinet,) commodè explicat. Unum & alterum exemplum sufficiat. Cùm Deo tribuitur phrasis, *dicere in corde suo*; Samaritanus habet: [illegible] [illegible] *in secretô suô, secretò, secum.* Levit. XXVI, 9. dicitur: ופניתי *Et respiciam.* Sam. [illegible] [illegible] *Et benevolus ero vobis.* Undè Num. IV, 7. שלחן הפנים Sam. [illegible] *mensa desiderii, beneplaciti.* Num. VI, 25. פניו *facies suas*: Sam [illegible] *benevolentiam suam.* Dubiæ

Z 2 sunt

(z) *Rittang. p. m. 50.* (a) *Hott. l. c. p. 303. Conf. p. 322.* (b) *Buxt. Abbrev. p. 37.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

ſunt *Muhammedanorum* ſuffragationes. Communiter docent, Deum eſſe *eſſentiam ſpiritualem, incomprehenſibilem, æternam* (c), *ſine principio & fine, cujus nulla imago ſit, nulla qualitas, nullus color, nulla membra: quæ à ſeipsâ exiſtens, & non ab alio, in eodem ſemper ſtatu permaneat, expers affectuum* (d). Quæ pulcrè declarat autor libri كتاب الرسالة. Ita enim de Deo, in Compendio ſuo Religionis Muhammedicæ abſolutisſimo, artic. 1. docet (e): ليس لاوليته

ابتدا ولا لازليته انقضا لا يبلغ
كنه صفته الواصفون لا يحيط بامره
المتفكرون يعتبر المتفكرون باياته
ولا يتفكرون في ماهية ذاته *

Origo ejus initio caret, & æternitas fine. Rationem ejus nulla attributorum deſcribtione aſſequuntur, ejusq; imperium ne loquacisſimi quique complectuntur. Ex ejus quidem ſignis homines meditabundi exempla trahunt: quidditatem tamen eſſentiæ ejus nullâ cogitatione comprehendunt. Et paulò pôſt:

وله الاسما الحسنى والصفات
العلى لم يزل بجميع صفاته
واسمايه تعالى ان تكون
صفاته مخلوقة واسماوه محدثه
كلم موسى بكلامه الذي هو
صفة ذاته لا خلق من خلقه وتجلا
للجبل وصار دكا من جلاله *

Idem

(c) *Schvveigg. Il, 52. p. 178.* (d) *VVallich. p. 5.* (e) *Hotting. H. O. II, 4. p. 413.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Idem etiam habet nomina pulcra & attributa excellentia, quibus tamen attributis & nominibus omnibus nulla mutatio infertur. Absit enim (credere) *attributa ejus creata esse, aut nomina ejus producta. Locutus est Deus cum Mose sermone, qui est proprietas essentiæ ejus, non verò creatura de creaturis ejus, & apparuit in monte, qui præ majestate ejus comminutus est.* Conformia ferè docent *Mutazalitæ*, qui negant, attributa Dei ab essentiâ divinâ differre. Ita speculum Mundi, theor. I. (f) الوجود والوحدة وسایر صفاته سبحانه عين ذاته *Existentia, unitas, & cætera Dei attributa; ipsa ejus essentia sunt.* Azizus, Tatarus P. 15. a. cap. 2. introducit Doctorem Sadreddinum, quem Cor illud legis & religionis vocat, hunc in modum disserentem: *Attributa* (Dei) *in suo genere essentia Dei sunt; & opera in suo genere vita; nomina verò in suo genere facies. Estq; hic sermo longè pulcerrimus. Ab unâ facie oculus essentiæ* (h. e. ipsa essentia,) *sunt, & ab alterâ facie (sine essentiâ* (h. c. essentia non sunt.) *Siquidem Dei attributa, significationes & comparationes sunt. Ipsa essentia verò, quia nec ulla existentia sine essentiâ. Attamen essentia sua attributa habet. Et ab hâc facie* (attributa) *ipsa essentia non sunt. Hodioliani*, Haudani Abi Hodialis asseclæ, à receptâ Motazalitarum formâ, Deum sc. scire لذاته *per essentiam suam*, ad hanc deflectebant, scire Deum per scientiam, scientiam autem esse essentiam. Admittunt siquidem, Attributa divina, ipsam Dei esse essentiam (g) *Persæ* quoque Deum per periphrasin appellant eum, *qui est sine qualitatibus.* Sic enim loquuntur: منزه ذاتش از چونی وچندی مبرا از پستی وبلندی * *Non cadit in essentiam ejus qualitas; aut quantitas, libera illa est ab omni profunditate & altitudine.*

(f) *V. M. Andr. Muller. not. 5. ad Azizum.* (g) *Hotting. H.O. II, 3. p. 369.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

§. XLV. E contrariò in Deo compositionem ex subjectò & accidentibus introducunt الصفاتية *Zephatii*, quasi *Attributarii*, à صفة *attributum*, dicti. Hi enim non modò attributa à Deo differre volunt, sed &, quæ ἀνθρωποπαθῶς de eô dicuntur, ab literam intelligunt. Propagavit insulsam hanc opinionem *Abi Abulchasan Ascharius*, removendo tamen crassam illam Ἀνθρωποπάθειαν, & prohibendo insuper تشبيه *comparationem* inter Deum & creaturas. Asserebat enim, eminenter Deo inesse, quæ hominibus tribuuntur formaliter (h). Quæ sententia acutior paulò, quàm Zephatiorum, adstipulatores tot invenit, ut deleto illo nomine *Ascharitæ* nuncupentur. *Mutazalitæ*, dum hoc vitium vitant, in contrarium currunt, &, ne Christianis personarum in divinis distinctionem concedere cogantur, æterna attributa ab essentiâ creatoris, qui supra omnia excelsus est, amovent prorsus. Ita judicat Alscharistanius & Maimonides etiam, cui Prolog. in Pirk. satis firma videtur consequentia الى قول بقدما المتعددة من اثبات الصفات *ab assertione attributorum, ad pluralitatem æternorum*. Mutazalitarum enim hoc fuit ratiocinium: قد كفروا النصارى بقدما الثلاثة فكيف السبعة او اكثر *Infideles habentur Christiani, quòd tria statuunt æterna, quid ergò de iis pronunciandum, qui septem aut plura statuunt?* Proinde dixerunt: *Deum per essentiam suam scire; sed non per scientiam, & eodem modo potentem esse & vivere* (i). Næ isti faciunt intelligendo, ut nihil intelligant. In sequenti

thesi

(h) *Id. ib. p. 368. seq.* (i) *Vid. ib. p. 369. seq.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

thesi nodum hunc Gordium gladio spiritûs dissecabimus. Nunc verò isti, qui ex attributorum in Deo conceptu, realem compositionem inferri argutantur, distinguere discant inter accidentia metaphysica, sive prædicabilia; & physica, sive prædicamentalia. Hæc, non illa, compositionem ex subjecto & accidente arguunt. Intellectus nostri imbecillitas in caussâ est, ut essentiam DEI, objectivè unam simplicissimam entitatem, per inadæquatos istos conceptûs nobis repræsentemus. Unde, licet Attributa ista secundùm nostrum concipiendi modum, formaliter & denominatione extrinsecâ diversificentur, à parte rei tamen cum ipsâ divinâ essentiâ identificantur. Vid. Boetius c. 4. de Trinit. Utinam verò Arabes Theologi popularibus suis ipsi fenestrã non aperuissent, cavillandi divinum dogma, locutionibus suis insolentibus. Paulus sanè Antiochenus, Episcopus Sidoniensis, in Systemate Theologico Arabico c. 18. tres personas Trinitatis aliquoties vocat معاني *Attributa* & minùs ad ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, معاني جوهرية *Attributa essentialia*. Tutiori incedimus viâ, si tres illas in indivisâ Trinitate ὑποστάσεις appellaverimus أقانيم (in sing. قنوم quo nomine Interpres Arabs utitur Ebr. 1, 3.) *Subsistentias* à قوم *subsistendo*. Verba sunt Hottingeri H. O. l. 2. c. 3. p. 370. ed. 2. quem etiam de hisce & similibus tutamentis sermonis consule in Hist. Eccl. Sec. XVI. P. 2. s. 2. pag. 81. seqq. Ut vel unici vocabuli معاني improvida usurpatio, & inde exorta infidelium argutatio satis urgens ratio videatur, cur Philosophiæ sobriæ ministerium in mysteriis etiam explicandis non repudiemus. Hæc enim filum quasi Ariadnes est, cujus beneficio tùm adversariorum κρησφύγετα eludere, tum rerum convenienti & propriâ appellatione animi nostri sensa explicare valemus.

Piæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Piæ antiquitatis, aliarumque nationum vocabula, ex genio linguæ ſuæ uſurpata minimè ſuggillamus. Dura verba hodiernis auribus ſunt, quæ in Elucidario, juſſu Henrici Ducis Brunſvicenſis ſcripto, leguntur: **Wir ſullen glouben / daz an Gote DRJ NATUREN ſint / und daz di dri genant ſin ein ware Gotheit.** Ambigua ſunt, quibus in hoc negocio utuntur Ægyptii, Armenii, & Æthiopes. Illis tres ὑποστάσεις Divinitatis dicuntur ϢΟⲘ ΝΙⲠΝⲀⲨⲘⲎΙ *tres ſpiritus*, referente Mullero n. 3. ad Aziz. iſtis ԵՐԵՔ անձինք (k) *tres perſonæ*, cùm tamen անձն etiam *animam* (l) ſignificet: his ፫ ሀለወት፡ *tres* ſive *eſſentiæ*, ſive *perſonæ*, ſive *naturæ* (m); licet alio etiam vocamine eas appellent tres አካላት፡ i. e. *perſonas*. (n). Tropum ſapit Arabum ſchola, in quâ nominantur ثلاثة جواهر *tres margaritæ*, aut ſecundùm Perſas, à quorum (o) گوهر hoc adſumtum, *ſplendores*: ſicut Æthiopes (p) duas in Chriſto naturas vocant ክልኤቱ፡ ባሕርያት፡ *duas margaritas*: جوهر tamen etiam, Philoſophorum autoritate, *ſubſtantiam* ab accidente diſtinctam, (q) ſignificat. Enimverò aliud eſt, vocabulum ambiguum adhibere; (quod nec Latini appellatione *Perſonæ* effugere potuerunt, & propterea apud Græcos malè audierunt, donec Athanaſius rem compoſuit.) aliud, ambiguè illud uſurpare. Diſtincta præterea ſunt, intra eccleſiæ pomœria rhetoricari, & cum hoſte philoſophari. Arabibus aliâs hypoſtaſis

(k) *Rivola p. 111.* (l) *id. p. 23.* (m) *V. Dn. Ludolf. Lex. p. 2. ſeqq.* (n) *ib. p. 278.* (o) *Gol. Lex. p. 546.* (p) *Dn. Ludolf. Lex. p. 183. Muller. n. 3. ad Aziz.* (q) *Gol. ibid.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

ſtaſis dicitur أُقْنُوم (r) uti jam ex Hottingeri uſiſt. Or. l. c. audivimus; ubi tamen mendum occurrere Hſpicor. Sic enim impreſſum eſt: *Certum eſt, tutiùs adhibe. ri ad denotandas in Trinitate perſonas vocem* اقانيم à قوم *ſubſiſtendo, quàm* معان *attributum.* Non admittit ratio Grammatica, ut اقانيم à قوم derivemus: cùm genuina ejus radix ſit قنم, ad quam etiam cum Golio *(s)*, Vir erudisſimus in Lexico ſuo Harmonico (t) retulit. An à Syris accepere Arabes, quibus ܩܢܘܡܐ uti & Samaritanis [illegible] *Perſonam* ſignificat? Et Syriacum quidem inſuper etiam *ſubſtantiam* notat, & pro Hebræorum אצם i. e. *ipſe* adhibetur (u). Interpres N. T. authenticum : τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ transfert : ܕܐܝܬܘܬܗ Ebr. I, 3. quod Tremellius reddidit : *eſſentia ejus.* Junius tamen in Notis (x) monet, vertendum *potiùs* eſſe, *ſubſiſtentiæ*, ſive *perſona* (y) *ejus* : quòd Syri *eſſentiam* appellent ܝܬܘ. Cum quo etiam facit Hotting. (z), qui ܐܝܬܘܬܘܬܐ interpretatur *Subſiſtentiam*, additque : *Maſius mendosè habet* ܐܝܬܘܬܐ. Fortè præter meritum, cùm omnium codicum fide nitatur Maſius Maruphides Gilanæus, Medus, ex nepotibus Nomani Ibn Mundir, Arabum Regis oriundus, in Lexico Arabico Perſico, uti & Gieuharis, Syriacum illud ܩܢܘܡܐ arabizatum exponunt per أَصْل quod *radicem* ſive *principium* (a) ſignificat. Rabbinis *ſubſtantia* dicitur קיום Confer librum Jezirah, ſemitâ 8. p. m. 22. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Muhammed à Chriſtianis

Aa equi.

(r) *Id. p.* 130. *&* 1973. (s) *l. c.* (t) *p. m.* 439. (u) *D. Gutbir. Lex. p. m.* 103. (x) *p. m.* 432. (y) *Vid. Grauer. Qq. Illuſtr*, 120. (z) *Lex. Harm. p. m.* 178. (a) *Gol. p.* 137.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

equidem didicit, quòd Deus essentiâ suâ sit infinitus, invisibilis, fons omnis perfectionis, incomprehensibilis, immutabilis, incorporeus (b): quàm insulsè autem circumcellio divinæ essentiæ corpus affingat, eamque locorum cancellis constringat, ex describtione Adscensus sui in cœlum mendacissimi, in vulgus notum est. Vide Hornbeck. Summ. Controv. pag. 209. Anthropomorphitæ planè sunt *Tatari Cataini*, qui Terræ Deo, quem comminiscuntur, uxorem adjungunt & liberos (c). Sanniones putes Chinensium sacerdotes, qui ipsi epulis vescuntur, idola verò sua nidore pascunt (d). *Lauzu* præcipuè secta insaniam suam nugamentis insipidis propalat. Veneratur nempe inter reliqua inanium deorum simulacra, Cœli quoque Dominum, cognomine CIAM. At corporeum illum fingit, & tyrannum, qui *Leu* (*Jeu* habet Neuhof (e)) antehac Cœli rectorem, dracone alboadvectum hospitem, regno excluserit, raptoq; dracone ejus in cœlum evectus sit. Et ne quis hunc Jovem quendam redivivum existimet, qui Saturnum patrem imperio dejecerit, & carceri immisericors incluserit, fabulantur, Ciam hunc permisisse isti Leu montem quendam in regno Chinarum, cui jam præsideat, antiquâ exutus dignitate (f). Quid *Japonensium* ludi, quos *Gibon* vocant, præ se ferant, vide apud Varenium c. 4. de Relig. Jap. p. 73. Secta quædam in *India Bisnou*, Deum vocat *Ramram*, qui nullis utatur ministris, uxoremque habeat, cujus idolum non minùs, ac Dei in templis suis venerantur Musicâ, cantilenis, choreis (g). *Bengalenses* ex timore, ne idola æstûs magnitudine exanimentur, flabellis ventulum ipsis faciunt (h). *Guinenses*, cum vicinis Deo & corpus & colorem, (nigrum

(b) *Hotting. H. E. c. 7 s. 2. p. 394.* (c) *Lind. p. 1020.* (d) Roß p. 154. (e) *Describt. Sin. c. 8. p. 313.* (f) *Varen. de divers. Relig. p. 284. ex Trig.* (g) *Id. ib. p. 298. seq. ex Joh. de Twist, Belga.* (h) Roß p. 160.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

grum nim. quali ipsorum corpora sunt, & quem elegantem arbitrantur esse,) attribuunt. Et hoc cum multis Orientalibus populis commune habent: Spirituum enim naturam, & incorporeæ substantiæ existentiam ignorant (i). *Virginiæ* maximè australis, sive Wingandocoæ incolæ, uti numina sua humanis corporibus prædita credunt, præterquam (k) mox describendum, KEWAS dictum, ita simulacris quibusdam, quæ *Kewasowack* vocant, venerationem exhibent. Sacraria quædam, templorum in modum, illis consecrant, quæ *Mechicomuk* nominant; in iis precantur, canunt, & varia dona offerunt (l). Idolum KEWASA *è trunco elaboratum est, 4. pedum altitudine, capite Floridanum referens. Facies colore vivido picta est, pectus albore conspicuum; reliquum corporis nigrore, crura diverso colore & albo distincta. A collo torques dependent è globulis candidis rotundis, quibus immiscentur teretes ex ære: cujus precium auro contra & argento charum ipsis est.* Custos hic regum sepultorum in templo urbis Secotæ positus est. Plerumq; in templis suis binos aut ternos, nec plures collocant, adspectu sanè in tenebricosis locis (m) horribili. Miseros verò *Mexicanorum* Deos, quos sacrificuli eorum fame mori conquerebantur. Ipsi scilicet, ut Beli Diales, captivorum carnes desiderabant (n). Crassiores hi sunt Epicuro, qui *monogrammos* dicebat *Deos*, & hominis quidem speciem: nec tamen eam speciem corpus esse, sed quasi corpus: nec habere sanguinem, sed quasi sanguinem (o). Acutior *Deiculus Ægyptius*, 5. digitos altus, qui hodiè *Antverpiæ* (p) reperitur. *Dextram suam in latus sinistrum, sini-*

(i) *Varen. l. c. p. 305.* (k) *Gottfr. Hist. Antip. P. 1. p. 173.* (l) *Laet. III, 23. p. 92. seq.* Roß *pag. 199.* (m) *Merian. P. 3. Amer. c. 20. Gottfr. Hist. Antip. P. 1. p. 170. ex Reich. Greinvill. navig. 1585. adde p. 183.* (n) *Archontol. Cosm. pag. 277. Hist. Antip. P. 1. p. 39.* (o) *Cic. l. de N. D. Rhodig. V, 19. p. 202. seq.* (p) *Caramuel Appar. Philos. II, 141. p. m. 78.*

ſtram in dextrum reciprocè vergit: in illâ primam Abecedarii literam, in hâc ultimam habens. Ita divinitatem ſuam probat, Aleph & Thau, principium & finem ſe eſſe, inſinuat.

§. XLVI. THESIS III. *Unisſimæ & ſimplicisſimæ divinæ eſſentiæ coëxiſtunt tres perſonæ, realiter à ſe invicem diſtinctæ & coæternæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Abſolutè hactenus contemplati ſumus divinam esſentiam, nunc relatè conſiderabimus. Sacratius hîc Myſterium, ſoli fidei cognitum. Primum Dei conceptum, attributa quædam, ratio etiam oſtendit: Perſonarum Trinitatem ſola Scriptura revelat. Mira fuit Keckermanni (q) audacia, qui rationi nimiùm litans, ex principiis naturæ demonſtrare voluit Antitrinitariis, Perſonarum Trinitatem promanare ex ipsâ Dei eſſentiâ, & Deum Deum esſe non posſe, niſi tres habeat diſtinctos exiſtendi modos, ſeu perſonas. Contrarium à noſtris Theologis (r) pridem demonſtratum eſt. Divinæ ſubſtantiæ ſubſiſtentia extra controverſiam eſt. Numeroſitatem ὑποστάσεων N. ac V. T. pandit auctoritas. In utroque docta, in utroque determinata. Clarisſimè omnium Evangeliſta Theologus (s) *TRES, qui teſtimonium in cœlo dant*, pronunciat. Perſonarum hinc Trinitatem credimus. *Pater* hæc eſt, *Filius*, (Verbum,) *& ſanctus Spiritus* (t). Ὑφιστάμενα audis diſtincta relationibus. Proinde realiter. Alius reverà gignens eſt, alius genitus. Spirans ſeu mittens alius, alius ſpiratus ſeu miſſus, aut procedens, Joh. XV. v. 26. Quilibet verus, ſummus, æternus & independens Deus. Pater αὐτόθεος, origo Trinitatis. Filius, Patris unigenitus, Joh. I, 14. 18. Ejusdem ergò cum Patre naturæ. Nihil enim aliud gigni potuit ex Deo, niſi Deus (u). Productionis quippe talis terminus univocum (x). Spiritus S. Patris & Filii Spiritus, Matth. X. 20. Gal. IV, 6. ob æternam puta, internam & immanentem, ab utroque ἐκπόρευσιν, Ioh. XV, 26. (Vid. Stilus vindex B. Danhaueri.) Cave verò in divinis aliter, quàm intellectualiter verſeris. Diſtinctas percipis perſonalitates: diſtinctas minimè concipe eſſentias. *Hi tres unum ſunt*, minimè, in unum. *Unus Jehovah* Deus.

(q) *l. 1. Syſt. Theol. c. 3.* (r) *Vid. Dn. D. Joh. Muſæus differt. peculiari.* (s) 1. *Joh. V, 5.* (t) *Matth. XXIIX, 19.* (u) *Boët. 65. de Tr.* (x) *Scalig exerc. 61. ſ. 3. p. m. 228.*

Deut. VI, 5. Simplici intellectu jam erigere, & ut quodq; intelligi potest, ita etiam intellectu aggredere. Totem Pater essentiam Filio communicavit, totam retinuit: totam Pater & Filius Spiritui S. communicavere, totam retinuere. Una ita trium & indivisa essentia. *Non enim fuit unquam Pater, quando non erant unà cum eo & Filius, & Spiritus Sanctus. Sed sicut Pater semper fuit Pater, ita, ut Patris nomen non sit pòst adeptus: Sic & filius semper fuit filius, cum Patre suo semper existens. Eodem modo & Spiritus S. semper fuit Spiritus Dei, à Patre & Filio inseparatus.* Ut nostram faciamus Confessionem *Armeniorum*, qui in *Russiâ Rubeâ, Chioviæ, Leopoli, Camenecia & Luceoriæ* commorantur, & *Gaiasdaneaicæ* seu *Gajuzicæ Ecclesiæ*, in cujus linguæ dialectis etiam primo scribta est, ad Sanctogenitum Patriarcham Constantinopolitanum, ex mandato Dn. Constantini, Catholici Armeniorum, manu Michaëlis, Sacerdotis Armeniorum, filii Husti, f. Misci, f. Tichni. & posterior quidem Leopoli in Russiâ Sarmatiæ, Anno Christi 1566. Armenici v, numeri 1015, versa autem & notis illustrata, atque edita ab Abdiâ Prætorio, Wittebergæ An. 1570. Fides hæc arx (y) religionis Christianæ. Diversa & adversa omnia apud reliquos reperies. Concredita sunt *Judæis* divina eloquia (z): concreditum hoc mysterium. Impiè istud abnegant, ferociter impugnant (a). Adeô à majorum suorum fide recessere. Non alia erat olim, ac nostra (b) est instructio. Esto, tàm clarè in Veteri instrumento non exprimatur, ceu in N. T. num fides antiquorum ideò fuerit implicita? Cognitionis DEI mensura utiq; revelatio. Annon verò hæc in V. T. cum Scributurâ præcisè retrocommeat? Omnium animarum salus tunc etiam agebatur. Confer Gen. XVIII, 19. c. XXI, 33. Matth. X, 27. 1. Tim. II, 4. Adde B. Gerhard. Exeg. L. de Myst. SS. Trin. §. 27. Aut Scributura eodem tempore, fuerit aliis principium credendi adæquatum, aliis inadæquatum. Suspectus (c) sit liber גלי רזיא R. Jehudæ, & recentior; veterum tamen suspicienda credulitas. *Cabbalistæ* divinitatis contemplationem *Arbore* suâ *Cabbalisticâ* (אילן

illis

(y) *Boet. in Confess.* (z) *Rom. III, 2. c. IX, 4.* (a) *Nizach. pag. 83. Buxt. Synag. p. m. 17. 19.* (b) *Act. XV, 11.* (c) *Hotting. Eyn. p. m. 249. Anal, P. II. p. 54.*

(הַקַּבָּלָה) repræſentârunt. Hoc enim nominis eſt (d) decem illis ספירות *Sephiroth*, quas alii *numerationes*, alii *luciditates*, ſeu *ſplendores* interpretantur (e), & ſub arboris formâ exhibent. Sunt verò, juxta Reuchlin. l. 3 Cabb. decem nomina divina, quæ nos de Deo concipimus, ſequentia. כתר *Corona*, חכמה *Sapientia*, בינה *Prudentia* ſ. *Intelligentia*, חסד *Clementia* ſ. *Bonitas*, גבורה *Gravitas*, ſ. *Severitas*, (aut *Potentia*;) תפארת *ornatus*, נצח *Triumfus*, הוד *Confeſſio laudis*, יסוד *fundamentum*, מלכות *Regnum*. Supra coronam verò ponitur אין סוף *Infinitudo*; & eſt abyſſus. Hæc tamen omnia noris eſſe numerationum cognomina, & varia inſuper (f): propria verò nomina earum, ſunt hæc divina. אהיה *Ehjeh*, יה *Jah*, יהוה *Jehovah*, אל *El*, אלוה *Eloah*, אלהים *Elohim*, יהוה צבאות *Tetragrammaton Sabaoth*, אלהים צבאות *Elohim Sabaoth*, שדי *Schaddai*, אדני *Adonai*. Hæc Kircherus T. 2. Oed. P. I. cl. 4. c. 1. p. 214. ex Rittangelio p. m. 12. qui etiam p. 13. eadem nomina ſub currûs formâ ſchematicè proponit. Iconiſmum totius Cabbalæ vide apud Kircherum l. c. c. 8. p. 289. Plura ex eo adderem, ſi cum Exſcribtore lenocinari, quàm cum Scribtore deliciari mallem. Miror, immortalis nominis virum, mutuum reddere noluiſſe, cùm præſertim ſors facta fuerit ex uſurâ (g). Ne in Autorum quidem catalogo nomen ejus addidit, cùm tamen librum Jezirah poſuerit. Conferantur, ſodes, Rittangel. p. 5. & 6. Kircherus T. 2. Oed. Æg. P. I. cl. 4. c. 8. §. 1. p. 290. Rittang. p. 35. Kircher. l. c. p. 293. Rittang. à p. 65. ad 69. Kircher. T. 3. p. 587. & eadem verba reperientur. Paria quoque occurrunt apud Kircher. T. 2. P. I. p. 295. ex Rittang. p. 9. niſi quod Kircherus pro *magiſtris*, legat *miniſtris* & p. 296. ex Rittang. p. 10. ubi tamen iterum variat, & pro Rittangelii verbis: *ſexcenta & viginti*, reponit 613. Totus nimirùm in eo eſt Rittangelius, ut S. S. Triadem propugnet, eamque ex antiquisſimis & doctisſimis Hebræorum Theologis, contra populares ſuos, demonſtret. Oſtendit autem, eos ſtatuiſſe I. *Perſonarum in divinis Trinitatem*. Supra enim enarratas *Numerationes* diſtinxerunt in *tres ſuperiores* (עלאין) ſeu *primarias* (ראשונות) 7. & *inferiores* (שלמטה). Has appellarunt מדות *proprietates* ſ. *attributa*, p. 3. & 48. illas verò, *Emanationes*

(d) *Id. Theſ. p. 451. ſeqq.* (e) *Vid Buxt. Lex. Talm. p. 1535.* (f) *Rittang. p. m. 12. & 14.* (g) *Plin. præf. l. 1. H. N.*

tiones spirituales s. intellectuales, quæ quasi sint spiritus, spiraculum & anima supradictis 7. numerationibus, per quas hæ 3. superiores operentur, sicuti anima per corporis sui membra. p. 36. Dicuntur etiam *tres mentes*, quæ instar *surculi*, se uniunt ipsi centro, quod est radix earum: 7. verò numerationes dicuntur *rami*, qui se uniunt surculo, repræsentanti mentes. Demùm, teste libro M.S. סוד מרכבה עליונה *summa quadriga* tres in divinitate existendi modos significat, p. 35. Quemadmodum verò Essentia divina, tribus personis communis, dicitur אין סוף *Infinitudo* & סוד הנקודה *mysterium centri*: ita PATER in divinis dicitur כֶּתֶר עֶלְיוֹן *Corona summa*, quæ hoc peculiare & proprium habet, quòd omnes numerationes ab ipsâ, illa verò à nulla procedat, p. 3. R. Abr. F. D. comm. in semitam 2. Jezirah, ob incomprehensibilitatem eum vocat האין *Non-Ens*, p. 4. Adde Rittang. p. 5. seq. FILIUS Scripturæ usitato vocabulo vocatur חכמה *Sapientia*. R. Abraham eum vocat יש״ מאין *Ens de non ente*. p. 58. Conf. p. 54. & 59. SPIRITUS S. appellatur בינה *Intelligentia*, pag. 8. 6. Aliter quoque Cabbalistæ intelligere feruntur per היה *Fuit*, Patrem: per והוה *& est*, Filium, per ויהיה, Spiritum S. p. 50. Docet 2. *Personarum mutuam distinctionem*, p. 66. ubi R. Schabthe sic loquentem adducit: כל אחת ואחת מוח בפני עצמה: *Qualibet* (mentium) *est mens per se*. 3. *Coæternitatem & æqualitatem*, à pag. 76. seqq. היו כלן אור א״ס בה׳ עד א״ס ועד את״ת מלא כל העולמות עד: *Omnes* (numerationes) *fuerunt plenæ lumine Infinitatis, usque in omnem non finem, & usque in omnem non-terminum, per omnia secula*: Idem pag. 80. Et pag. 65. אמרו חכמי הקבלה כי ג׳ ראשונות כתר חכמה בינה חשובות כאחת: *Dixerunt Sapientes Cabbalæ, Tres primarias* (numerationes,) *quæ sunt, Corona summa, Sapientia, Intelligentia, in æquali dignitate quasi summè unumquid esse*. Postremò quoq; edocet 4. *Essentiæ, tribus hypostasibus communis, unitatem*, R. Schabthe p. 67. הם אינם דבר

דבר זולת אחדות הנקודה: *Illa* (tres mentes) *nihil aliud sunt, nisi unitas Centri.* Idem mysterium quadrigæ, h.e. Trinunitatis, confirmat ex paraphraste Onkelos, qui ab Hebræis Spiritûs S. ductu locutus creditur, & à nostris pro emendatissimo habetur. Hic, ait, primum subsistendi modum vocat יהוה, secundum ממרא יי *Verbum Dei*, tertium שכינתא *Divinitatem* p. 81. quod etiam dictis Scribturæ ostendit: de DEO Patre, pag. 82. seqq. de Filio pag. 84. seqq. de Sp. S. p. 87. seqq. Objectionem, quód etiam ממרא יי i. e. *sermo* vel *locutio*, redditum fuerit per דבר diluit, negando, Chaldaicam vocem idem, quod Hebraicam דבר significare, p. 96. Hottingerus tamen Hexaemeri Q. 36. p. m. 52. ostendit, דבר & אמר synonyma esse Hebræis, & Q. 37. p. m. 55. adducit Hackspan. de usu Scribt. Rabb. p. 366. qui concedit quidem, Chaldaicum istud מימר ubi Christus intelligi potest, quadrare quandoque; minimè tamen admittit, Chaldæum intellexisse Messiam, qui Deus & homo creditur. Rationes 5. vide ibidem adductas. Clariora hæc omnia redderent Concordantiæ, si quæ darentur, Targumicæ. Videri potest D. Nic. Selnecceri libellus brevis, de collatione textûs Biblici & Targumim, edit. Lipsiæ, A. 1576. qui tamen, ut modò audivimus, ab Hottingero notatus fuit. Recentiores Rabbini, ut contrariam sibi doctrinam eludant, libros adductos tùm Rabbenu Hakkadosch, tùm Jezirah, suppositicios proclamant. Exspectas jam animi mei sententiam? Liberrimè profiteor, ne Legionem Adjutricem inde non accersere. Quemadmodum enim miracula nunquam absolvunt totam hominis conversionem (g): (quod tamen Salmero autumat, h. m. scribens (h): *Signa & miracula solidissima sunt argumenta, ac prorsus divina, ad comprobandam veritatem dogmatum fidei: nam illis Christus probavit se Messiam ac*

Deum

(g) *B. Hulsem. in Vindd. MS.* §. 51. *cit. Dn. Scherzero disp. inaug. p.* 63. (h) *T. XI. tr.* 43. *de observatione legalium, p.* 294. *a.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Deum.) ita Cabbala per se, totam S. S. Trinitatis fidem nunquam operabitur. Victrix Legio aliunde nobis suppetit. In mundo quidem Recutitis semper est, quod ad Gen. I, 1. excipiant. Vid. Dn. D. Musæi Prælect. publ. in Gen. Quomodo verò iidem personarum divinarum pluralitatem in dicto illo Gen. I, 26. declinare velint, vix perspicio. Firmissimè eam ex l.c. post alios, cumprimis B. nostrum Gerhardum in Exeg. L. de myst. Trinit. §. 111. demonstrat Hoornbek ת״ו l. V. c. 2. Exceptiones eorum diluit à p. 378. ad 388. Contra idiotismum decantatissimum דרך מעלה וכבוד urget nominis divinitatem, singularis numeri usum, variam cum verbo modò plurali, modò singulari constructionem, 2. Sam. VII, 23. 1. Paral. XVII, 21. Mirificè verò pro nobis facit, admiranda cum affixo singularis numeri constructio, cujus exemplum simile non datur. In Lege statim illa occurrit Exod. XX, 2. אני יהוה אלהיך *Ego Jehova Domini tuus.* Quid? quod ipsi in verbis decreti de creando homine, non diffiteantur quandam pluralitatem. Menasse Concil. in Genes. q. 6. *Quomodo dicit, Faciamus? quâ voce denotat multitudinem.* Denotabit ergô, ut concessa, nostra faciamus, aut essentiæ pluralitatem, aut deliberationis cum creaturis communicationem, aut honoris excellentiam, aut personarum multitudinem. Illud nec ipsi, nec nos admittimus: isti creationis natura repugnat: huic domesticum reclamat testimonium. Saadiæ, ab usu linguæ Arabicæ ad Hebrææ genium argutanti, Aben Esra respondet: ואלה הערים ערי שקר הם *Hi verò testes sunt testes mendacii.* Remanet ergò nobis ultimum, quod μεειομὸς ille Gen. III, 22. non leviter statuminat. Vid. Glass. p. m. 660. A nobis stat R. Simeon f. Jochoa *(i)* in Tykune Sohar, ad l.c. Gen. נעשה אדם למאן אמר האי אלא ע׳ הע׳ אמר ליו״ד ה״א וא״ו ה״א *Faciamus hominem, cui dixit hoc, utique caussa caussarum dixit ipsi Jod, He, Vau, He.* Ternarum personarum numerum distincta arguunt opera Jes. LXIII, 9. 10. Conf. Deut. XXXII,

(i) *V. Rittang. p. m. 57.*

12. Pſ. LXXIIX, 17. 31. ubi eminet Angelus Jehova. Creaturæ nomen illud incommunicabile. E. Deum innuit. Jam verò Angelus tùm miſſum, tùm mittentem innuit. A ſe ipſo quis mittatur? Duæ ergò Perſonæ ad minimum. V. Hoornb. l. c. p. 394. 397. ſeqq. Patrem & Filium diſertè V. T. nominat Pſ. II, 7. Prov. IIX, 22. ſeqq. c. XXX, 4. Spiritûs S. verò mentionem fieri Gen. I, 2. nec ipſi inficias eunt. Bereſchit Rabba ita ibi: זו רוחו של מלך המשיח *Hic eſt Spiritus regis Meſſiæ, ſicut dictum Jeſ. XI, 1, & requieſcet ſuper eum Spiritus Dei.* Raſchi ſic: *Solium gloriæ conſiſtens ſupra aquas incubat aquis Spiritu oris Dei, & verbo eius, ſicuti columba ſupra nidum cubat.* Ad quæ iterum Hornbek, l. c. *Quid ſolium DEI? Spiritus Dei? incubans? Non explicârit certè, niſi divinitatem Spiritûs S. agnoſcat. Atque illud benè, quod etiam verbi partes hic agnovit: nempe ita in creatione Pater, Verbum & Sp. S. concurrunt.* Lege omninò Hotting. Hexaem. q. 32. p. m. 41. ſeqq. Cur itaque Apellæ Filium Deo eſſe pernegant? cur abjectè adeò de Sp. S. ſentiunt? Spiritum S. inter divinarum revelationum gradus, excluſivè ultimum faciunt. Ex dictis eum incluſivè, & tanquam cauſſam ſupremam agnoſcere diſcant. Illud ſaltem in animum ſibi inducant, quòd Meſſias, Moſe ſanè non inferior, Deut. XIIX, 18. hunc in ſe habitaturum aſſerat, Jeſ. XI, 2. & LXVI, 1. Quin שכינה & רוח הקדש apud ipſos Hebræos, non modo conjunguntur ſæpenumero, ſed & pro eodem ponuntur. Non igitur de nihilo erit Rittangelii ſuprà allata è Chaldæo probatio. Omnis eorum objectio ab eſſentiæ unitate petitur. Quî verò ad Perſonarum pluralitatem negandam procedat conſequentia, cordatus quivis intelligit. Utrumque Scriptura revelavit, utrumq; credendum. Argumentorum Judaicorum pleniorem confutationem imbibere licet ab Hornbekio l. c. p. 400. ſeqq. *Samaritanorum* veterum fidem circa hunc articulum expiſcari hactenus non licuit(k): moderni cum reliquâ Synagogâ conveniunt (l). §. XLVII.

(k) *Hotting. Enn. p. m.* 21. (l) *Cappell. Crit. S. III,* 20. *§.* 5. *&* 6. *p.* 205.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

§. XLVII Iſtorum caſtra *Antichriſtus Orientalis* non deſe-rit. Multa in ſpeciem occurrunt noſtræ doctrinæ conformia in Alcorano, & Muhammedanorum ſcribtis. Judæorum imitatione in Divinitatis explicatione arboris ſimilitudinem adhibent. Azizus Tatarus p. 32. a. *Hujus arboris*, inquit, *tres ordines ſunt: ESSENTIA, FACIES, VITA. Arboris ſc. maſſa eſſentia eſt, integritas, facies. Et hi duo ordines arboris vita ſunt. Ex hoc ſermone, Dei eſſentiam, faciem, vitamq́ cognoſcas. Hic textus* (Alcoranici) *ſenſus eſt. Hujus ſc.* (m) *Quocunq́* (faciem) *converteris, etiam ibi facies Dei eſt.* Recenſeri hic à Scribtore Turcico audis اوج مرتبه *tres ordines* vel *dignitates*, quas Atſamedinus (n) perinde uti Paulus, Epiſcopus Sidonienſis, cum aliis vocat *tria Attributa.* Ea palmaria ſtatuunt, & unum eſſe. Quidnam verò per illa intelligant, Beidavi (o) explicat, ad Sur. IV. p. 60. Refert enim, *Chriſtianos affirmare* الله ثلاثة اقانيم الاب والابن والروح القدس ويريدون بالاب الذات وبالابن العلم وبروح القدس الحيوة * *Deum in tribus conſiſtere perſonis, P. F. & Sp. S. Patrem eſſe eſſentiam, Filium ſcientiam, Sp. S. vitam.* In ſpecie, Chriſtum ex Joh. I, 1. vocant كلمة الله *Verbum Dei.* Ipſe Muhammed, teſte Elmacino (p), complices ſuos juſſit credere المسيح ابن مريم روح الله وكلمته ورسوله * *Chriſtum, filium Mariæ, Spiritum Dei eſſe, verbum ejus & Apoſtolum ejus.* Beidavi ad verba Sur. XX. p. 18. نفخنا فيها من روحنا *inſpiravimus ei de ſpiritu noſtro*, ſcribit, *Deum intelligere Spiritum* الذي هو بامره وحده *qui ipſius tantùm juſſa obſervet*, der allein und eigendlich auf ihn warte / vel, *qui per mandatum & juſſum ſolius Dei exiſtat.* Quâ phraſi infidelem Theologorum ἐκπορεύεσθαι, (Arab. انبثق

(m) *Sur. 2. v. 114.* (n) *Muller. n. 16* (o) *ap. Hotting. H. O. II, 2. 343. & c. 3. 378.*
(p) *Hiſt. Sar. l. 1. p. 3. cit. Hotting. H. O. II, 4. p. 408.*

انبثق Joh. 15, 26.) exprimere voluisse, suspicatur Hottingerus (q). Memorabilia sunt verba Alis Abdalcarimi: وجه خاص من وجوه الحق قام الوجود بذاته الوجود* Quæ Seldenus ex MS. producens l. 2. de Synedr. c. 4. p. 127. ita vertit: *Modus singularis s. productio sibi propria, vera, adeoq; unica*: M. Andreas Müller. n. 17. ad Aziz. h. m. *Singularis Persona* (vel attributum est Sp. S., de quo auctor loquitur.) *de personis Dei, in quibus existentia* (Dei) *recumbit*. Locutiones istæ satis sunt commodæ, sensus loquentium planè alius. Qui Trinitatem eos credere autumaret, nubem pro Junone prehenderet. Blasphemè Promachus eorum edicit Sur. 4. لقد كفروا الذين قالوا ان الله ثلاث* *Infidelis est, qui dixerit, Deum esse Trinum.* Christianos eodem cum Judæis & gentilibus nomine vocat المشركون *Associantes*, & cum Judæis personæ in divinis unitatem suis inculcat. Autor libri كتاب الرسالة art. 1. confiteri docet, ان الله الاه واحد لا الاه غيره ولا شبيه له ولا نظير ولا ولد له ولا صاحبه له ولا شريك له* quòd *Deus* sit *Deus unicus, extra quem nullus alius: qui nec similem habeat, nec parem, nec filium, nec socium, nec collegam.* Generandi potentia à Deo planè removetur Surata 112. cujus verba, ἀλεξητηρίου instar, Moneta illa cuprea Gerhardina, de quâ suprà §. 15. exhibet: الله الصمد لم يلد ولم يولد* *Deus æternus neque gignit, neque gignitur.* Rationem Exegetæ addunt ان الولادة لا تكون الا بين زوجين, quia scil. *generatio non est, nisi inter conjuges* (s). Quocirca etiam inconveniens majestati divinæ ducunt Turcæ, Deum

Patrem

(q) *H. O. I, 3. 144.* (r) *cit. Hott. H. O. II, 4. 414.* (s) *VVarner. Comp. Hist. p. 13.*

Patrem ſuū appellare, quia nempè eos naturali generatione non genuit (t). Quaſi verò ſpecifica alicujus rei ratio ſtatim in præciſô ejus conceptu contineatur, nec generatio, præter phyſicam, dari poſſit. Ab Arianis hanc argumentandi formam didicere. Vide ſimilia proferentem Candidum Arianum lib. de generatione divinâ Verbi. Scripturæ dicta ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι στρεβλοῦσιν: *indocti parumq́ firmi* (u) *detorquent*, aut ad coccyſmum ſuum, corruptæ Scripturæ exprobrationem relabuntur. Novè (x) Alfiruzabadius, Kamuſi autor التوليد exponit التربية *educationem*, à R. وَلَدَ *genuit*. Verba enim Patris cœleſtis ex Pſal. 2,7. in Corano adducta: انت ابني انا ولدتك *Tu es filius meus, ego Te genui*; mutatis etiam punctis eſſentialibus, in hunc ſensū detorquet: انت نبي وانا ولدتك *Tu es PROPHETA meus, ego ENUTRIVI Te*. Ibnol-Athir: وفي الانجيل قال لعيسى انا ولدتك اي ربيتك فكفرت النصارى وجعلوه له ولدا سبحانه وتعالى عما يقولون علوا كبيرا* *In Evangelio dixit Iſa: Ego valadtca*, i. e. *educavi Te. At Chriſtiani ſublato Teſdid* (Dages charactere conj. g. 2.) *ipſum ei filium poſuerunt; quòd longè abſit à Deo* (x). In tertiâ Divinitatis perſonâ abnegandâ idem moliuntur. Per روح القدس *Spiritum S.* in Alcorano intelligunt جبريل *Gabrielem*; vel روح عيسى *Spiritum Jeſu*, qui ei ἐξόχως tribuatur لطهارته عن مس الشيطان *quòd immunis fuiſſet à contactu Satanæ*, h. e. peccato orginali (y). Et cum vi verbi روح ex Ebr. רוח Gen. I, 2. perſonalitatem Spiritûs S. negare non audeant, corporeitatis ſequelam inde excudit Ahmed Ibn Edris q. 85. p. 98. & Judæis crimen falſi impingit. V. Hotting. Hexaëm. p. m. 43 Theſ. Philol. p. 272. ſeq. Benè tamen ſe res habet, quod hoſtis hic Chriſtianorū infenſiſſimus in virulento ſuo ſcribto, contra Judæos & Chriſtianos, apud Hotting. l. c. p. 350. ſeqq. agnoſcit, *S. S. Trinitatem clarè à Paulo aſ-*

 ſertam

(t) *Schvveig. Itin. II, 54. 186.* (u) *2. Pet. 3, 16.* (x) *Gol. Lex. p. 2732. Hott. H. O. II, 3. 377.* (x) *ap. Hott. l. c.* (y) *Id. p. 382.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

ſertam eſſe. Quî ergò αὐτοκατάκριτος Apoſtoli maledictum, Gal.I,8.9. effugiet? Plura videri poſſunt apud Mornæum & Grotium, de Veritate Religionis Chriſtianæ, Hoornbek in Summ. Controv. Hottinger. in Theatro Iſmaëlitico, Hackſpan. de Fide & Legib. Mohammædis, ad quos L. B. remittimus.

§. XLIIX. Hæc de imperſcrutabili Trinitatis myſterio ſentiunt illi, qui principium illud cognoſcendi ex parte recipiunt. Quænam de *Gentibus*, Scribturam planè repudiantibus, præſumenda erunt? Negocium hoc, ſi quoddam aliud, intricatisſimum eſt. Sibyllæ folia citiùs legeris & collegeris. Umbram in *Sinenſium* ſectâ *Sciequiâ* Te offendere putaveris. Tres docent eſſe Deos, qui unus factus ſit (a). *Idolum* venerantur *peregrinæ admodùm formæ, atq; ſtupendæ. Tria uni corpori impoſita habet capita, directò ſeſe mutuò reſpicientia.* Deſignari eô ajunt, *tres hosce ejusdem perpetuò eſſe ſententiæ, atq; idem ſemper & velle & nolle* (b). Incerta tamen hæc ſunt fidei noſtræ veſtigia (c). Philoſophorum ſuorum trigam, *Confuſium* (ſ. Confutium,) *Xequiam* & *Tanzu* (ſ. Lauzu) hâc formâ triformi exhibent. (d) Niſi Armeniorum libris, quorum magna apud Sinas fides eſt, credamus, D Thomam per Chinarum terras iter feciſſe, & ob belli injurias, quibus tunc onerabantur, paucos ſaltem reliquiſſe diſcipulos (e). De *Olò puèn*, qui è Judæâ A. Chr. 636. divinam legem in Sinam attuliſſe, fide ſcribturæ alicujus Sinicæ, in ſaxô depictæ, perhibetur, diſſertantem adi Kircherum, Prodromi Copti c.3. p. 50. ſeqq. Vereor nihilominus, nè credulis eundem, quem Cluverio, (f) priſcos Germanos trinunum Deum coluiſſe, affirmanti, ſcrupulum injiciat Voſſius (g). *Nemo* enim, ait, *de Peruanis hoc aſſeveraverit, quibus tamen etiam tres ſummi fuere Dii; Supremus Viracoche, i. e. creator mundi. & minores duo, Sol & Tonitru, velut advocati & interceſſores apud eum* (h): *ſicut Ægyptiis Sol, Luna, & Vulcanus.* Collactea colligere licet de *Japanenſibus*, qui unum tantùm Deum adorant, triplici capite effigiatum. Nullam ejus rationem reddere norunt

(a) *Urſin. l. c. ex Trigaut.* (b) Roß *p.* 154. (c) *Kirch. T.* 1. *Oed. ſ.* 5. *c.* 2. *p.* 400 (d) Roß *l.c.* (e) *Jo. Conſalv. Mendoza II,* 1. *p.* 69. *ſeqq.* (f) *Germ. Antiq. I,* 29. (g) *de Idol.* I, 37. 271. (h) *Joſeph. à Coſt. V. Rer. Occid. Ind.* 4.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

norunt, teste Ortelio (i). Invenio, eos hâc picturâ adumbrare Solem, Lunam, mundumque elementalem (k). Aliàs Peruani in urbe Cusco, feriis Capacreyme tres Solis venerabantur statuas, quarum unam nominabant APOINTI, i.e. *Solem Patrem*, alteram CHURINUTI, *Solem Filium*, tertiam INTIQUAOQUI, *Solem Fratrem*. Idem in Dei sui CHUQUILLA h.e. Tonitru imagine triplici faciebant, *Patrem* eam, *Filium* & *Fratrem* nominando (l). Chuquisacæ idolum TANGATANGA (seu *Tangatenga*) adorabatur, quem Deum unum in tribus, & tres in uno dicebant (m). Umbra hæc sunt, aut potiùs umbræ somnium. Æquè incerta, ac ea, quæ de veterum Gentilium prædicantur suffragiis. Platonicorum errata unà cum aliis observavit Scaliger (n). Mercurius ille Trismegistus suppostitius est. V. Casaubon. Exerc. I. contra Baron. f.10.p.84.85.87. Kirchero quoque judice (o), veræ fidei lumine destitutus, mysterium hoc in nonnullis locis non rectè explicavit. Idem tamen, eodem teste (p) subobscuram Mystis Ægyptiis, seclusâ plebe, mysterii reliquit notitiam. Utrique *arcana arcanis symbolis texêre, tum ad debitum sacris honorem & reverentiam conciliandam, tùm ad evitanda errorum pericula. Neque enim opera precium existimabant, ignaris, rerumque inexpertis, ea proponere, quæ, cùm ex se & suâ naturâ altissima sint & obscurissima, facilè eos, dum dicta sacra illotis manibus, inexpiatisque animis, temerario ausu accedere inconsultius præsumerent, in varias opiniones deducere poterant.* Verba Kircheri sunt T. 2. Oed. P. I. cl.3. c. 2. p.127. seq. Vix merentur Aegyptiorum instituta calculum. Nuda est veritas. Figmentis in Sacris opus non est, Sir. 34, 8. Hieroglyphicorum ambiguitas errorum erat genitrix. Symbola & fabulæ Antiquorum tantùm non omnem admittunt detorsionem, explicationem, & applicationem. Conferantur Natalis Comes, & Michaelis Majeri Atalanta fugiens, Ursinus item in Anal. S. vol. 2. l. 5. c. 1. p. 255. seqq. Divinorum illa occultatio animarum post se trahit perniciem. An idem artificium, quod Romanæ Ecclesiæ, quæ in Latinâ Linguâ Sacra administrat, nec auditoribus suis judicium in spiritualibus permittit? *Bonzii* equidem *in Japoniâ* augusto quodam sermonis genere, quô Dairi aliàs cognati loquuntur, sacris operantes aliquando utuntur (q). Libros etiam de

(i) *pag.* 102. (k) Roß *pag.* 170. (l) *Gottfr. Arch. Cosm. pag.* 278. *Hist. Antip. P. I, p.* 43. Roß *p.* 210. (m) *Hist. Antip. l. c. Niremb. H. N. VIII,* 13. (n) *Exerc.* 365. *s.* 3. (o) *T.* 2. *Oed. P.* 2. *cl.* 12. *c.* 3. *p.* 506. (p) *T.* 3. *diatribe I, prælus. c.* 1. *p.* 9. (q) *Varen, de Regn. Jap. c.* 25. *p.* 378. *seqq.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

de religione, diversô à vulgari charactere pingunt, quem rudes absq; informatione non intelligant (r). Non possum, quin transmissam à toties laudato Dn. Schelhammero Scripturam quandam eorum, ex scriniis Gerhardinis subjiciam. Benè multam cannæ incisam Dn. Præses adservat. Exsculpi in præsens aliquot characteres curavimus. Canna senis utrinque lineis deorsum inscribta est. Nostri, ex tertiâ circa finem desumti, crebriùs occurrunt. Communésne sint an sacri; viris, an fœminis (nam hic quoque discrimen (s) est,) usitati, nec non significatum eorundem uberiori Bibliothecâ instructis indagandam relinquimus. Hos, occasione consuetudinis Japonicæ circa mysteria tradenda, produxisse nobis sufficit. Peregrinâ itidem linguâ *Bramini Narsingani* discipulos suos erudiunt (t). Æquè probatur nobis hæc methodus, ac Kircheri asseveratio, quâ *Gentiles* etiam, *divinâ inspiratione agitatos, Christianorum mysteria, discursibus suis &c. exhibuisse*, *extra dubium* ponit. Nos *ἀσφαλείας certitudinis* cupidi, ex *λόγῳ βεβαιοτέρῳ, sermone firmiore*, cum D. Severo, Alexandrino quondam Patriarchâ (u), contra Anti-Trinitarios Discursum nostrum hâc gemmulâ obsignamus:

ܬܠܝܬܝܘܬܐ ܡܘܕܥܐ ܐܬܓܠܝܬ ܒܐܝܡܡܐ ܒܪܐ ܕܡܥܡܕ ܐܒܐ
ܕܩܥܐ ܘܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܕܡܪܚܦ.

Trinitas interdiu patefacta est: FILIUS, qui baptizatus est; PATER, qui clamavit; SPIRITUS SANCTITATIS, qui incubavit.

TANTUM.

בריך רחמנה דסייען׃

(r) *Ib. & c. 1. de Relig. Jap. p. 25. ex Caron.* (s) *Id. de Regn. Jap. c. 25. p. 173.* (t) *Arch. Cosm. l. 2. p. 709.* (u) *In Rituali Baptismi, p. 12.*

EMENDANDA.

C. 3. a. l. 5. *Ceuravvach.* l. 29. dele *Is.* l. 30. *Ipsæ.* G. 2. b. l. 27. *Bæotiis.* I. 1. a. l. 24. *vero* I. 3. b. l. 6. & 7. *Sianis.* L. 2. b. l. 2. *tradit.* L. 4. b. l. 31. *ipsi.* M. 3. a. l. 11. *Securè.* O. 2. b. l. 24. *Lacûs.* S. 2. b. l. 14. *Xacam.* S. 4. b. l. 9. *Hominis: quoq; ejus.* T. 2. a. l. 10. *adscitos.* T. 4. b. l. 30. petunt. V. 1. b. l. 2. *referta.*

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

005647201

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.358